

HERMANNI SCHOLLINER
DE
GERBIRGE GEISENFELDAE SEPVLTA;
EIVSQVE
PARENTIBVS AC PROGENITORIBVS
DISQVISITIO.
PRÆCEDIT
STEMMATOGRAPHIA COMITVM
DE SEMTA ET EBERSBERG.

GEORGE GUNNISON LIBRARY
UNIVERSITY OF COLORADO
Boulder
COLLECTOR'S COPY



PRAEFATIO.

Problema historicum, verius ænigma, quod illustris Academia Scientiarum boica Antiquitatum Patriæ cultori- bus enodandum pro anno currente proposuit, et si tantis difficultatibus involutum videatur, ut vix Oedipum inveniat, & Ariadneo filo opus sit exitum e Labyrintho in- vestiganti; tentare nihilominus aleam libuit, & nodo isti optare cuneum.

Quærere nimirum placuit, quinam fuerint Parentes & Progenitores *Gerbirgis*, quæ in Epitaphio Geisenfel- densi, a *Mabillonio*, quum anno 1683 iter per Bavariam faceret, sequentem in modum descripto:

„*Hac jacet in Tumba Gerbirgis filia Regis*

„*Græci Stertoris, Eberhardique fuit*

„*Neptis, hujus loci prima fertur Prælata fuisse.*“

filia Regis græci, Stertoris, Eberhardi neptis, & prima Abbatissa Geisenfeldensis adpellatur?

Desiderabatur insuper, ut Stemmatographia Comi- tum de Semta & Ebersberg ad normam CL. Ioan. David.

Koeh-


Koehleri Professoris quondam Altdorfensis adornetur, si quidem veritati constet, *Eberhardum* istum de stirpe dictorum Comitum fuisse oriundum.

His igitur votis pro tenui mea satisfacturus, non modo præmisi tabulam genealogicam extinctæ dudum, sed illustrissimæ inter Boios familiæ Seintanæ & Ebersbergensis, cum probationibus ad singulas personas subiunctis, verum & alias quinque superaddidi suis quasque documentis comprobatas, vnde prima maiorem adhuc lucem acciperet.

Charta chronologica eo serviet, ut in genealogica hypothesi mea nullum occurrere anachronismum, facilius patefcat.

Adieci insuper exactam faxi huius sepulcralis in templo sanctimonialium Geisenfeldæ extantis delineationem, quo rectius de genuina epitaphii lectione statui queat.

Sequitur ad calcem divinatio verius, quam demonstratio de genuino *Gerbirgis* Parente, quem inscriptionis auctor Regem græcum STCTOREM adpellat,



PROBATIONES

*ad tabulam I. genealogicam Comitum de Semta
& Ebersberg.*

Num. I. SIGEHARDVS.



Anonymus Ebersbergensis in Chronico posteriore,
quod uti brevius, ita mihi antiquius videtur,
apud illustrem OEFELIVM Scriptor rer. boic.
Tom. II. pag. ii. sequentia de hoc Sigehar-
do tradit:

„Tempore Karolomanni Cæsaris in Norica regione qui-
dam Præses erat nomine SIGIARDVS, qui fiscale forum ha-
buit secus emporia fluvii Semnaha (*Semta*) unde locus æqui-
vocum nomen sortitus est. -- Arnulfus ergo Cæsar filius Karo-
lomanni, qui consanguineus erat Sigehardi, multis ditans præ-
diis -- traditionem firmans testamento regale sigillum habe-
te.“

Aaaa

Ano-

Anonymus alter, priore loco ab OEFELIO editus, paria scribit pag. 4.

„Temporibus Carolomanni Regis, filii Ludovici Regis fuit in Norica regione, quæ nunc Bavaria dicitur, quidam Comes præpotentissimus, genere spectabilis morumque honestate præclarus, & nomine nullo in actu militari secundus: in rebus bellicis, prout eventuum qualitas se obtulit, vir valde strenuus & famosus, nomen habens *Sighardus*. Hic secus fluviū naturalem (*navalem*) qui vulgari voce dicitur *Sempta*, quoddam forum fiscale habuit negotiorum mercionii utpote aptissimum, per aliquot anni temporis spatium ibi manere cœpit. Qui comes *Sigardus* de genere Regum supradictorum— Arnulfus igitur Cæsar eodem tempore, qui fuit Carolomanni prælibati filius, comitem *Sighardum*, quia amicus & consanguineus erat, & rem suam sibi a Rege commissam strenue gubernabat, multis prædiis ditans ad novam sui castri in Ebersperg plantationem, quam nuper inchoaverat, in supplementum eandem traditionem firmans scripturæ testamento regale sigillum habente.“

Chronicon istud prolixius, recentioris ætatis, aut certe interpolatum esse arbitror; tum quod *Noricam* regionem nunc *Bavariam* dici notet, quæ utique recentior adpellatio est, tum quod pag. 7. a) prælii illius meminerit inter *Fridericum Ducem Austriæ*, & *Belam Hungariæ* Regem commissi, quod anno 1246 accidisse, extra controversiam est. Vid. *Sigismund. CALLES Annal. Austriæ Tom. II. p. 345.*

VITVS Prior Eberspergensis in *Chronica Bavarorum lib. III. cap. 19.* apud OEFELIVM Tom. II. p. 711.

„Sig-

„Sighardus igitur Comes & Nepos Arnulphi Imperatoris castrum Ebersperg in superiori Bavaria situm contra insultus Hungarorum primus construxit.“

Vitus ARENPECK in Chron. Baioarior. lib. III. cap. 13 apud Bern. PEZIVM Thesaur. Anecdotor. Tom. III. P. III. col. 133.

„Temporibus siquidem Regis Bavariae Carolomanni genitoris huius Arnolfi Cæsar in Norica regione fuit quidam Comes potentissimus dictus *Sighardus Sempta* (de Semta, vel Semtanus) qui radicata nemoris parte castrum fundare cœpit, cui nomen Ebersperg imposuit a quodam insolita magnitudinis apro, qui in eodem loco aliquamdiu latitavit. Arnulfus igitur Cæsar sæpedieatus, quia *consanguineus* dicti comitis erat “&c. uti bini Anonymi Eberspergenses allegati,

AVENTINVS Annal. Boior. lib. V. cap. 7. n. 33.

„*Sichardus*, quem Imperator Arnulphus Cæsar Augustus dilectum suum *propinquum* appellat. -- Hæc ex fastis & diplomatis Eberspergenium, Beurorumque accepta ex fide refero; ibidem huiusmodi publica instrumenta Cæsarum Pontificumque servantur.“

HVNDIVS in Stemmatographia Tom. I. pag. 139.

„Graf Sighart von der Sempta, den nennt Kayser Arnolf seinen nächst gebornten Freund in einem brief, darinn er ihm Pergo gibt de dato Ratispona 1. Ianuar. an. 888. Anno primo Regis Arnulphi. Ita habet Epitome Aventini.“

Hactenus quidem convenient Chronographi , *Sigehardum* nostrum quodam propinquitatis gradu Bavariae Reges e stirpe Caroli M. adtigisse; quo autem, an agnationis, cognationis, vel affinitatis, nemo prodit. Audacior videtur Adamus WIDE-LIVS, qui & ipse ad chartas eberspergenses provocat, dum in *Divo Sebastiano Eberspergæ Boiorum propitio pag. 66.* illi sororem tribuit *Hemmam*, Ludovici Germanici uxorem. En eius verba !

„ Ea tempestate , qua rerum in Boica potiebatur Carolomannus Bavariae & Italiae Rex , inter alios præcipui nominis proceres eundem ex Gallia in Germaniam fecutus est *Sighardus* quidam , uti antiquæ tabulæ tradunt , Regis ipsius Carolomani nepos, vel certe pronepos, quippe *frater Hemmæ Vxoris Ludovici I. Germaniæ Regis* , vir uti regio sanguine clarus, ita virtute Principe non indigna. Inspecta hinc inde Bavaria placuit alicubi stabilem sedem figere. Præ cæteris regio delecta est filvis frequens ad *Senonem* , hodie Semptam , ditiuncula, tunc Ebersperensem etiam fundum complexa, quæ cum pluribus aliis per Bavariam pagis & oppidis a Rege Caroloanno Sigehardo Comiti & posteris eius iure perpetuo collata est. Ab hoc fluviolo eiusque ditione Comites Semptenses primitus in Germania appellatos fuisse, antiqui fasti memorant. “ Hæc ille,

At quo pacto *Sigehardus* dici potuit *nepos* aut *pronepos* *Caroloanni* , si eiusdem *Avunculus* fuit? Et cur tam confidenter e Gallia vocatur , quando de patria & stemmate *Hemmæ* , eius, si placet, sororis , inter Scriptores non convenit? Vti videre est apud illustrem FALKENSTEINIVM *Histor. Bavar.*
P. II. pag. 156.

Et

Et vnde constat de *regio* illius sanguine, dum *Regino* ad an. 886 de *nobili* solum, non de *regio* genere testatur his verbis :

„Habuit hic gloriosissimus Rex (*Ludovicus*) Reginam nomine *Hemmar* sibi in matrimonio iunctam, quæ *nobili* gene-
re fuit, sed, quod magis laudandum; nobilitate mentis mul-
to præstantior.“

Mallem ego natale utriusque solum in Baioaria quærere.
De *Sigehardo* quidem istud coniicere licet ex verbis Annalistæ fuldensis, qui eundem, si tamen noster est, eadem infidelitatis suspicione cum *ERNESTO* aliisque involutum, & a *Ludo-*
vico Germanico exauktoratum scribit, *intra patriam* tamen *in proprietate sua remansisse* observat, Gallis ad *Carolum Regem* confugientibus. Quemadmodum igitur *Ernestus*, suis licet privatus honoribus, in patria sua Nordgovia ad Neccarum flu-
uum; ita & *Sigehardus* noster in suo Norico ad Semtam am-
nem remansit. Sed præstat ipsum Annalista audire ad an.
861 apud FREHERUM *Script. rer. germ. Tom. I.*

„Hludovicus Rex conventum habuit in Reganesburg --
in quo *Ernestum* summatem inter omnes optimates suos quasi infidelitatis reum publicis privavit honoribus, *Vtonem* quoque,
& *Berengarium* fratrem eius atque SIGEHARDUM comites, *Wal-*
donemque Abbatem cum aliis non nullis, quasi complices in-
fidelitatis eius similiter exauktoravit. E quibus Vto & Beren-
garius cum Waldone fratre suo in Gallias ad *Carolum Regem*
secesserunt ceteris *intra patriam* in proprietate sua remanen-
tibus.“

Reman-

Remansit certe *Sigehardus*, aut rediit Eberspergam, quum *Arnulfus* Imperator complacitationem quamdam *Waldonis* Episcopi cum Iacobo Vafallo suo factam in ipso Castro *Ebersburg* an. 893 ratam habuit apud MEICHELBECK *Histor. frising.* Tom. I. P. II. n. 903. pag. 403.

Suspicari quis forte non inepte posset, *Waldonem* abbatem, in Gallias profugum, post mitigatum Regis animum, aut eius obitum, aut detectam innocentiam, in Bavariam rediisse, & sedi frisingensi fuisse præpositum.

De *Hemmæ* autem Reginæ patria boica non aliam habeo coniecturam, quam quod chartæ frisingenses plures ad an. 828 notent, *Ludovicum Germanicum*, Pii filium, eodem anno in Bavariam cum coniuge sua rediisse: quod indicio esse posset, quod uxorem in Bavaria acceptam ex itinere secum in Bavariam reduxerit. Vid. MEICHELBECK *Histor. frising.* Tom. I. P. II. n. 514. 517. 520. 522. seqq. 529. 530. Sed ista intra limites coniecturæ consistant, cum ad scopum propositi problematis parum faciant.

Cæterum *Sigehardus* frequens in comitatu *Ludovici* infantis fuit, & cum Episcopis, aliisque Proceribus pro Waldone Episcopo frisingensi interventor exstitit, ut patet ex diplomate eiusdem Regis de dato II. Kal. Decemb. an. 903 apud MEICHELBECK loc. cit. P. I. p. 151:

„Intercessione fidelium nostrorum Diotmari Archiepiscopi, Zachariæ Episcopi, Totonis Ep. Luitpoldi illustris comitis & cari propinqui nostri, *Sigehardi* etiam, Cundpaldi, Isamgri-mi & Meginhardi comitum — Actum Regina civitate.“

Anno

Anno 905 XVI. Kal. Martii in *Monument. boic. vol. XI.*
p. 129. pro monasterio nideraltacensi :

„ Per honorabiles Dei servos Erchanboldum Zachariam
Tutonem videlicet & Burchardum Episcopos, Luitpoldum quo-
que, Sigihardum atque Iringum comites — Actum Regina
civitate. “

Anno 906 IX. Kal. Maii pro Waldone Epo. frisingensi apud
Meichelbeck loc. cit. p. 152 :

„ Per interventum fidelium nostrorum Hattonis videlicet
& Dietmari Archiepiscoporum, nec non aliorum Episcoporum
Erchanboldi scilicet, Adalberonis, Zachariæ & Deotolohr, Co-
mitum vero Ottonis, Purchardi, Adalberti, Liupoldi, Pur-
chardi, Sigihardi, Cunpoldi, Iringi — Actum in loco Holz-
kiricha. “

An. 907 in celebri illa adversus Hunnos, sed nimium infau-
sta expeditione AVENTINO teste *Annal. Boior. lib. IV. cap. 21.*
n. 19:

„ In Danubio navibus copias Sigehardus Sennonum Prin-
ceps, cognatus Regis, Ratholdus, Hattochus, Meginwardus,
& Eysengrinus Dynastæ Boiorum perducunt, “

Quem etiam in illa Boiorum internecione occubuisse, idem
lib. V. cap. 7. n. 33. sequentibus verbis tradit :

„ Sichardus (quem Imperator Arnulfus Cæsar Augustus
dilectum suum propinquum appellat) periit in bello hungari-
co sub Ludovico Rege Boiorum, filio Arnulfi Augusti. Anno
æræ nostræ DCCCCVII. Ebersperg castellum condidit, cum
vxore Gothina Fruxini humatus est. “

At

At vereor, ut recte istud se habeat. Ipse enim AVENTI-
NUS lib. IV. cap. 21. ubi hanc cladem copiose deseribit, &
undeviginti Boiorum dynastas ibidem cæsos, n. 2. singilla-
tim enumerat, nullam Sigehardi interemti mentiouem facit.
Immo cladi eundem fuisse superstitem, inde colligo, quod

Primo RADERUS in Bavaria sancta Tom. II. pag. 168 se-
quentia verba, tanquam aliunde, sed nescio vnde, desumpta,
cursivis, quod aiunt, litteris expressa alleget: *Domi sue de-
functus Fruxini cum Gothina coniuge sua conditur; quæ illum
vitam non in acie, sed in pace in lectulo suo finisse insinuant:*

Secundo, quod dies obitus eius cum die cladis non conve-
niat:

Tertio, quod ille adhuc anno 908 advocatum egerit Chor-
episcopi frisingensis apud MEICHELBECK loc. cit. P. II. n. 982.

„Notum fit -- Remisit enim Chorepiscopus & Aduoca-
tus suus *comes Sigihardus* propriam abbatiolam suam. - An-
no DCCCCVIII. Idibus Septembris. Isti sunt testes - Arbo
Comes. *Sigihard Comes. Wetti Comes.* -- “

Nec putem de alio quopiam coniite, quam nostro *Sige-
hardo* sermonem heic esse; patebit enim ex subsequentibus,
comitatum circa Mosaburg Sigehardi successores rexisse,
dum *Sigihardus* alias recentior, cuius fratres erant *Nordpreht,*
& *Engelpert*, uxor autem *Willa*, comitatui præfuit in Pago
Salzpurgoe, ut legere est in chartis salisburgensibus, illustri
Autori originum dom. voicæ communicatis, & ab eodem in
adpendice editis.

Diem

Diem obitus extra dubium ponit Necrologium ebersbergense apud OEFELIVM II. pag. 17:

„VI. Idus octobris Sigihard comes pater Ratoldi obiit.“

Frisingæ autem tumulatum fuisse, concordant chronologi infra allegandi. Solertissimus Meichelbeckius H. F. Tom. I. P. I. d. 156. agens de tumulo *Vtonis* Episcopi anno 1701 in Ecclesia cathedrali reperto, testatur, ibidem & alia duo corpora fuisse detecta, quæ suspicatur esse *Sigehardi*, eiusque coniugis, indeque ulterius coniicit, *Vtonem* Semensisbus potius, quam Andecensibus comitibus quodam propinquitatis nexu fuisse coniunctum. Hinc mihi porro suspicio nascitur, *Waltonem* & *Vtonem* Episcopos Frisingæ sibi invicem succedentes, illos ipsos fuisse fratres, cum *Ernesto* Duce & *Sigehardo* nostro comite a Ludovico Rege exauktoratos, ac denuo in gratiam receptos, de quibus supra ex annalibus fuldensibus actum fuit.

De anno vero obitus *Sigehardi* in diversa abeunt aiores. Annum decimi saeculi sextum signant Chronica ebersbergensia: *Brevius*:

„Anno dom. Incarn. nongentesimo sexto Sighard comes obiens.“ *Prolixius*:

„Anno dom. Incarn. 906 *Sigehardus* comes, miles invictus (at quomodo invictus, si ab Hunnis in pugna victus occubuit?) moritur, & Frisingis cum honore debito sepelitur -- obiit Sighardus Comes sequente die post Dionysii Martyris, hoc est nono die mensis octobris.“

Vitus ARENPECK Pezianus pag. 134. repetit priora verba Chronicci ebersbergensis prolixioris.

Annum septimum, ut vidimus, statuit AVENTINVS. Malum autem opinari, eum ad annum usque 908, post quem nuspia occurrit, vitam protractisse, atque, ut RADERVS habet, domi suæ defunctum in pace fuisse.

Num. II. GOTHINA,
seu Gotherina Vxor Sigehardi.

Chron. ebersberg. prolixius pag. 5.

„ Gothina etiam sua paucis diebus postea evolutis obiit, & cum suo Marito tumulatur. -- Gottina eius Vxor obiit in Vigilia S. Thomæ Apostoli. “

VITVS Eversbergenſis apud Oefele p. 711:

„ Sigehardus habuit Vxorem Gottinam nomine. “

Vitus ARENPECK Pezianus col. 134:

„ Gotterina etiam sua paucis diebus postea evolutis obiit, & cum Marito suo Frisingæ sepelitur.

Necrologium ebersbergense p. 18:

„ XIII. Kal. Ian. Gottini comitissa Vxor Sigehardi obiit. “

Quodsi igitur paucis post maritum diebus obiit; sequitur annum 908 eidem fatalem.

At vero quod genus, unde domo?

Non liquet, neque etiam in huiusmodi inquirendis operam ludere velim; condiuntur enim, ut recte censuit magnus LEIBNITIVS in Introduct. ad collection. scriptor. brunsvicens. Tom. I. p. 3. remotiora familiarum insignium capita intra nubes incomptæ vetustatis.

Num. III. Ratoldus IV. Engelmuth Vxor.

Chron. ebersberg. brevius pag. 12,

An.

„An. dom. Ianuarii 906. (vel 908.) Sighard obiens Ebersperensem locum *filio Ratoldo* dedit, qui in divinis saecularibusque rebus erat nimis strenuus, ob quod ei Cæsar Karentinos terminos tuendos commisit. Hic Chuonradi prophetiæ memor castris suburbana ampliavit, omnibus sumptibus locum cumulavit. Hic gignit *Eberhardum, Adalberonem, Willibircam*. Obiens vero Ebersberch dedit Eberhardo ac Iuvavio sepelitur in Ecclesia S. Amandi ad occidentem anguli, qui madescit ex corporibus Sanctorum.“

Chronicon prolixius pag: 5:

„Ratoldus igitur *Sighardi filius*, de patris sui voluntate, dum adhuc viveret, Ebersbergensis castris locum possedit, qui in divinis saecularibusque rebus erat nimis strenuus, acer ingenio, in bello sævissimus, propter quod Cæsar Arnulfus Careninorum terminos ab hostium insultu defensandos recommisit. (Igitur, ut notat OEFELIVS, antea Patri eius commiserat) Hic Ratholdus prophetiæ Conradi de Heuwach Viri bonæ conversationis & vitæ merito commendati non immemor, ac etiam Gebhardi inclusi de vrbe Argentina, gratia sanctitatis pleni, castris Ebersbergensis suburbana ampliare disponit, omnibusque sumptibus locum mirabiliter dilatavit. *Vxor* autem eius *Engelmuth* nomine genuit sibi duos filios, *Eberhardum & Adalberonem*, & unam filiam *Willibircam*. Cum igitur Ratoldus comes sub habitu vitæ militaris velut Agonista fortis tempora sui cursus transivisset sine metu, *filio suo seniori Eberhardo* tradidit castrum in Ebersberg, & ipse Iuvavio in urbe, quæ nunc dicta est Salzburga, honorifice cum *Vxore* sepelitur in Ecclesia S. Amandi Episcopi & Confessoris ad occidentem anguli, qui crebro madescit ex sanctis corporibus

Sanctorum , qui inibi beate requiescunt. Obiit autem anno dom. incarn. nonagesimo decimo nono.

VITVS Ebersbergensis loc. cit. p. 711 :

„ Hic Sighardus habuit Vxorem *Gottinam* nomine, quæ sibi genuit filium , quem *Ratoldum* vocavit , & hic castrum Ebersperg ampliavit. Vxor eius fuit *Engelmudis*, quæ sibi genuit duos filios, & unam filiam *Williburgen* nomine. Primogenitus eius filius fuit *Eberhardus*, alter vero *Adalbero* vocabatur.

AVENTINVS loc. cit. v. 7. n. 33 :

„ Succedit filius horum *Ratholdus* ab Arnulfo regulo Boiorum (non igitur ab Imperatore) Charinorum limiti praefectus est. Migravit ex hac vita altero atque tricesimo post mortem parentis anno (legendum altero & decimo). Ipse & Vxor eius Angilmunda sepulti sunt Salisburgi in templo divi Amandi.

Idem L. IV. 22. n. 6. de Arnolfo Boiorum Duce agens scribit,

„ Charinis rectorem dat *Ratholdum* Senonum dynastam. “

Nescio quas tabulas sequutus fuerit Andreas BRVNNERVS, dum Annal. Boior. Lib. III. n. 2. pag. 135. nov. edit. scribit:

„ Eundem *Ratholdum* ob res contra Vngaros fortiter feliciterque gestas *Conradus Rex* carentano limiti tuendo praefecisse, & in amicorum numero habuisse , tabulis ebersbergensibus, quas bona fide sequor, traditur. “ Nec

Nec aliter Adamus WIDELIUS loc. cit. p. 83.

„ Et ob res quidem adversus hostes ope Boiorum & Suevorum præclare gestas *Conradus Rex*, Ludovici successor, *Ratholdum Carinthiæ Marchionem* dixit, qui honor victoriarum præmium fuit. „ Quum tamen ebersbergense Chronicon non *Conrado*, sed *Arnolfo Imperatori*, AVENTINVS autem *Arnolfo Boiorum Duci* istam promotionem tribuant.

Mirari subit, in serie Ducum & Marchionum Carinthiæ, quam satis exacte texuerunt viri celeberrimi, Bernardus M. de RVBEIS in Antiquitatibus aquileiensibus, Christoph. PESLERVS in serie Ducum Carinthiæ, Erasmus FROELICH in Archontologia Ducum Carinthiæ, nullam *Ratoldi nostri mentionem occurrere.*

Forte huic *Ratholdo* tribui posset Nummus rarissimus, Offenhusii in ditione Norinbergensi an. 1760 repertus cum hac inscriptione: HRATOLDVS DVX. In postica REGINA CIVITAS & infra tectum templi VVO. Nec enim *Ratholdus Arnolfi Imperatoris* Nothus quemdam in Baioariæ regno Ducatum aut Marchiam obtinuit, sed Mediolano præfectus fuerat.

Obitus *Ratholdi* diem signat necrologium ebersberg. p. 15.

„ XIII. Kal. Febr. Ratolt comes obiit. “

Annum supra expressit Chronicon ebersbergense prolixius DCCCCXIX. Addit Adamus Widelius p. 86.

„Engil-

„ Engilmundis Vxor anno vno prior vitam finiit videlicet 918 XIII. Kal. Ianuar.“ Quod unde hauserit, non indicat; nee enim in Chronicis aut Necrologio ebersberg. annum diemque legere me memini.

Num. V. *Eberhardus I.*

Filiorum natu maximum fuisse constat ex num. præced.

Codex traditionum ebersbergensium apud OEFELI II. p. 20.
n. XV:

„ A generatione hac in æternum Domino credentibus sit in memoria, quod regnante primo Henrico Rege Francorum *Eberhardus* comes, eiusque frater *Adalpero* nomine ad exemplum Iacob Patriarchæ lapidibus in titulum erectis in Ebersbergensi castro monasterium construxerit in honorem Dei & sanctæ Matris genitricis eius, sanctorumque Martyrum Sebastiani Cyriaci Viti & Martini confessoris Christi atque pontificis, ad quorum commemorationem inibi perpetualiter retinendam, adunatis Clericis aliqua de prædiis suis tradiderit anno ab Incarn. dom. 934 pro redemptione corporum animarumque suarum atque prosperitate parentum suorum & omnium successorum suorum. Post hæc autem ipsum monasterium dedicatum est a Friderico Iuvaviensi Archiepiscopo nongentesimo septuagesimo anno dom. Incarn. Indict. VII. XIII. Kal. Febr. Vdalrico strenuissimo comite, prædicti Adalberonis filio licentiam in hac re obtinente ab Abraham frisingensi Antistite.“

VITVS Ebersbergensis apud Oefele p. 711:

Eber-

„ Eberhardus igitur castrum contra Hungaros multum fortificavit. Nam Hunni his diebus saeplus Alamannos vexabant, & Eberhardus constructo castro obiit nullum post se relinquens hæredem. “

Vitus ARENPECK Pezianus col. 134:

„ Huius igitur *Sighardi Nepos Eberhardus* in castro suo Ebersberg per visionem quamdam edocitus iuxta dicta Presbyteri *Hunfridi* capellam ecclesiam in modum crucis aedificavit in nomine S. Sebastiani ann. dom. Incarn. 928. & in divinum servitium plures mansos & praedia dedit, Clericisque regulis de ordine S. Augustini ibi adunatis Hunfridum virum prudenter multaque elegantiæ in Præpositum ipsis præfecit. “

Visionem istam, seu somnium, aedificium quoque, Hungorum adventum, clademque fusius prosequitur utrumque Chronicum ebersbergense, quæ hæc non pertinent.

AVENTINVS lib. V. cap. 7. n. 34:

„ Excipit (Ratoldum) soboles Eberhardus & Adalbero primi, Bello hungarico ab orbe servato 955. interfuerere. - Eberhardus absque liberis, nempe cælebs decepsit. “

Idem L. cit. cap. I. n. 25. seq.

Hainricus Boiorum rector, æger quod prælio adesse nequibat, Eberhardo Senonum dynastæ exercitum Boiorum permittit. “ Post narratam Hungarorum cædem IV. Id. Aug. pergit:

Post-

„ Postridie direpta sunt castra hostium , captivorum numerus liberatus , honor superis habitus , vota pro victoria suscepta , redditia sunt . Bulcho Rex , eius quatuor Reguli Schabba , Lelcis , Sura , Toxus , vna cum paucis capti , traditi sunt Eberhardo Boiorum dynastæ . Is Regem & quatuor Principes Hainrico Duci Boiorum Reginoburgum misit . - - Cæteros Eberhardus vivos in fossam apud Ebersberg abiecit , terraque & luto obruit . Tintinnabula signaque ex eorum spoliis fudit . “

Chronicon ebersbergense prolixius p. 7 :

„ Post hæc Comes Eberhardus , genere clarus & nomine , decidit in lectum . - Se moriturum esse præsensit , fratrem suum Adalberonem ad se vocari fecit . Vxorem nou habuit , & gratia caruit filiorum . - - Et fratre suo tarde veniente mortuus est , & in ecclesia frisingensi honore debito sepelitur anno nongentesimo quadragesimo nono . “

Heic omnino legendum *quinquagesimo nono* . Interfuit enim memorabili apud Augustam prælio ann. 955. cladique superstes fuit , domi suæ in lecto defunctus .

Necrologium ebersbergense :

„ XVI. Kal. Decemb. obiit Eberhardus comes , filius Ratoldi . “

Adamus WIDELIVS loc. cit. p. 87. Eberhardum undecimum adolescentem scribit , cum Patri Ratoldo successit , & ætatis suæ attigisse annum quinquagesimum primum (pag. 113.) natum adeo anno 908.

Num.

Num. VI. ADALBERO I. Num. VII. LUTGARDIS uxor.

Chronicon ebersbergense prolixius p. 7:

„Adalbero moras faciens aliquamdiu tempus veniendi ad ipsum (*cum*) protractum & prolixius differret, veniens tamen tarde dixit: frater meus liberis carens, cum prædia sua Clericis vult dare, petit me ad se festinare, non cogitans esse melius, prædiis, quæ mihi hæreditario iure contingunt, filios meos ditari, quam alios iniuste prædari. Adalbero autem ebersbergensis castri moenia consummavit.“

Paria fere refert Chronicon brevius.

VITUS Ebersberg. loc. cit. pag. 711:

„Adalbero autem frater eius (*Eberhardi*) successit in comitatum, habuitque uxorem *Lutgarden* nomine. De cuius prosapia non habeo, quæ dicam.“

Chronicon ebersberg. prolixius p. 8:

„Adalbero obiit pater Vdalrici in die Prothi & Hiacinthi Martyrum. - *Lutgardis* autem, mater Vdalrici sequenti die post Simonis & Iudæ Apostolorum.“

Frisingæ sepultos sive, utrumque Chronicon & Aventinus testantur. Necrologium ebersbergense:

„III. dus Septemb. Adalbero comes pater Vdalrici obiit.“

„III. Kal. Novemb. Luitkard comitissa, uxor Adalberonis prioris obiit.“

Annum emortualem utriusque coniugis RADERUS in Bav. sancta Tom. II. p. 172. & WIDELIUS p. 128. notant DCCCCLXIX.

Num. VIII. WILLBIRGIS I.

Eberhardi & Adalberonis sororem filiamque fuisse *Ratholdi*, ex n. 3. constat; hinc merito *Vdalrici*, Adalberone geniti, *Amita* appellatur in Chronico ebersberg. breviori p. 13.

„Frater autem eius (*Eberhardi Adalbero*) mœnia consumavit, qui septem filios habuit elegantes, & octavum, quem S. Vdalricus (Episcopus Augustanus) baptizans æquivocum sibi fecit, occultavit hospitibus propter ignaviam & deformitatem. Ob quam rem *Amita* eius (Vdalrici ebersberg. comitis) *Willibirc* ait: indubitanter nostris peccatis exigentibus iste privatus est sospitate, cum omnes a filio meo Oudalrico (augustano Episcopo, quem filiolum suum appellat, quod eum e sacro fonte levasset, aut in confirmatione tenuisset) aliqua benedictione sacrati gaudeant integro sensu & corporis sanitatem. Näm ut de cæteris (non fratribus suis, ut legit *Chronicon* prolixius, sed de cæteris eius miris beneficiis) taceam, cum ego eum adhuc adolescentulum in monasterio S. Galli, quo nutritus est, visitans orarem, ut edentulæ matrinæ sue, quia mortem præ inedia timerem, misereretur; ille aliqua veluti iocularia ad hæc respondens: tandem ad tua, ait, remea; petitio tua felicem efficaciam assequetur. Iuxta cuius dicta etiam repatrianti dentes contra naturam veterantem (*veteranæ*) succrescunt, & maior quam ante capitis sanitas inde perseverat. Vnde scio, quod episcopale baptismus non parvam conferret prosperitatem, si delicti nostri non obstatenormitas. Procura ergo placare Dominum ac S. Sebastianum, cui frater noster (*Eberhardus*) prædium Aheim dare promisit.“

Discre-

Discrepat ab hac narratione tantisper Chronicon ebersberg. prolixius, quod hunc Adalberonis filium non baptizatum sed e S. fonte levatum ab *Vdalrico* Episcopo afferat pag. 7.

Discrepat autem multo magis *Widelius*, qui *Willbirgen* nostram putavit esse Amitam S. *Vdalrici*, eamque ideo cognatam ac consanguineam eius adpellat pag. 122. seq.

Aetate plenam fuisse *Willbirgen* testatur Chronicon prolixius pag. 7. Indeque colligitur, quod S. *Vdalrici Matri*na exstiterit, haut dubie primogenita *Ratoldi* filia, ante *Vdalricum* nepotem ex fratre defuncta.

De anno obitus non constat ex membranis; hinc nescio unde *WIDELIUS* pag. 129. tam confidenter afferat, eam obiisse an. 968, & quidem ipsis Kalendis Ianuariis, cum tamen Chronicon prolixius pag. 8. dicat:

„Post hæc fratribus suis successive decedentibus, solus ipse *Vdalricus* superstes remansit, *Williperga Amica* (*Amita*) sua iam defuncta in die Othmari Abbatis.“

Necrologium ebersbergense:

„XVI. Kal. Decemb. obiit Eberhardus comes filius Ratoldi. *Willipirc* soror eius.“

In codice tradit. emmeramensi, apud PEZIUM *Thesaur. Anecd.* Tom. I. P. III. col. 97. legitur traditio XXVIII, ab ebersbergensi comite *VDALRICO* pro remedio huius matronæ facta:
„Sapienti usi consilio *VDALRICH* comes videlicet, & uxor illius RIHKART, post obitum & sepulturam bonæ memoriae *Willipiricæ*,

pirigæ, venientes ante altare S. Emmerami, una cum ceteris sibi comitantibus, tradiderunt ad supra dictum altare ad servitium Dei famulorum, inibi conversantium, pro remedio & requie eiusdem matronæ quasdam suæ proprietatis res in loco *Eringa* dicto . . . - nec non & vineam prope urbem regiam in septentrionali parte Danubii optime vineis eorum accomodatam in manum sc. Episcopi *Wolfskangi* & Abbatis *Ramuoldi* & Aduocati sui *Magononis* - Testes - *Marachuart* *) - *Eparhart* : - forte filius *Vdalrici*.

*) Forte *Richardis* frater.

Num. IX. ADALBERO II.

Plures *Adalberoni* primo fuisse liberos, in comperto est, et si in numero non convenienter chartæ ebersbergenses, easque sequuti.

Vtrumque Chronicon p. 7. & 13. octo ei masculos tribuit, solo *Vdalrici* nomine expresso (vid. n. 8.) Nec aliter VITUS *ebersbergensis* p. 711:

„*Adalpero* autem frater eius successit in comitatu, habuitque vxorem *Luitgardin* nomine, quæ sibi genuit octo filios, septem ex his in florida ætate mortui sunt, octavus autem *Vdalricus* nomine, quem S. *Vdalricus* Episcopus augustanus e sacro fonte levans (baptizans) suo nomine *Vdalricum* vocavit.“

At vero Codex tradition. ebersberg. p. 21. n. XVII. tres solum filios, totidemque filias assignare videtur sequentibus verbis;

„Idem (*Eberhardus*) ab exordio construendi Monasterii dare promisit in ministerium domus donaria thuris, vini, ac olei.

olei. - Et ob hoc *Aheim* prædium suum, ex cuius pensione tria hæc insimul exsolverentur, Domino sibique dilecto Sebastiano devovit donare, sed ad voti expletionem fratri sui *Adalberonis*, qui multos filios habuit, assensum nec in hora suæ mortis impetravit. Quo defuncto cum idem *Adalbero* (I.) ipsum prædium possideret, ut opinabatur, licenter iure haereditario, per hoc expertus est in se extendi manum domini in retribuendo. Nam in brevi temporis spatio tres filiæ, & duo filii, qui ei elegantissimi erant, vitam finierunt. Et cum ei durum & impoenitens cor necdum desineret thesaurizare sibi iram in die vindictæ, non est in his aversus ab eo domini furor, sed adhuc manus eius extenta tetigit os & carnem *Oudalrici*, qui ei solus erat superstes de plebe mascula, ita ut succrescente per dies langueret invidia (*inedia*). Cuius caput Pater super altare ponens, eum Domino, sanctoque Sebastiano commendavit, & per eius manum triginta argenteos offerens devovit pro eius fospitate. "

Sit igitur, filiorum aliquos in ætate florida fuisse raptos; at aliquos tamen supervixisse, & non tam cito evanuisse, insinuare videtur Chronicon prolixius verbis paullo ante n. 8. ad finem allegatis:

„Post hæc fratribus suis omnibus *successive* decedentibus, solus ipse (*Vdalricus*) superstes remansit. “ (generis sui propagator.)

AVENTINVS, qui genealogiam Semtensium Comitum ex fastis & diplomatis bona fide collegisse testatur, præter *Vdalricum* duos *Adalberoni* primo filios assignat lib. V. cap. 7.

„ Adalbero (*Ratoldi filius*) ex *Luitgarda Adalberonem*, *Vdalschalcum*, & *Ulricum* tulit, quem D. *Vdalricus Augustæ Episcopus* aqua lustrica expiavit, ipsique suum nomen fecit.“

Vtrumque fundatorem dicit Parthenonei Kuepacensis non procul a Barrio amne *lib. V. cap. 4. n. 12* :

„ Adalbero & Vdalschalcus fratres Boiariæ primorum clarissimi.“ Nec multum ab eo HVNDIVS discedit in Metropolisburg, *Tom. II. pag. 171. Edit. nov.*

„ Kuebach cœnobium in eiusdem nominis vico bavarico medio sere itinere inter Schrobenhausen & Aicha construētum, fundatum & dotatum est anno 1011. ab Adalberone de Semt & Ebersberg in honorem S. Magni confessoris, cumque paulo post incendio periiisset, ab Vdalschaleco comite, fratre fundatoris, eiusque coniuge Willbirgi (verius filia Adalberonis) denuo instauratum esse, ibidem legitur.“

Addit GEWOLDVS :

Fundatorem huius cœnobii (quod a præterfluente rivo vaccarum, & in flumen Parrium influente nomen traxit) Moniales ex suis vetustis monumentis agnoscunt comitem Witelspacensem (legendum *Ebersbergensem* : nec enim inter Witelspacenses comites, hoc nomine tunc ignotos, aliquis *Adalbero* occurrit) *Adalberonem*, qui post recuperatam e Saracenorum manibus terram sanctam (anno 1099) ex voto eo peregrinationem suscepit, relicta domi uxore grida. Ipse in reditu fatis cessit. Nuntio flebili accepto, Vidua *Alberadis*, partus doloribus circumdata, cum foetu interiit, relicta unica

ex

ex præmortuo coniuge filia *Wilburgi* (Willbirge) quæ spretis mundi vanitatibus se suaque omnia Deo contradidit, suorumque cognatorum ope cœnobium condidit, atque in hoc ipso prima Abbatissa Christi miles strenua ad cælestè bravium pervenit. “

Repetit hæc fere omnia, qui Monumentis Kuhbacensi-
bus vol. XI. ad finem additis præfatus est, ubi tamen pag.
§ 22. gravis irrepit error, dum loco *Adalberonis* legitur nef-
cio quis *Boso*, inter Ebersbergenses æque ac Witelsbacenses
peregrinus.

Ex AVENTINI itaque, BRVSCHII, HVNDII & GEWOLDI fide
recte statuitur ADALBERO II. Cœnobii huius fundator, quod
maxime firmatur e diplomate HENRICI II. Imperatoris anno MXI.
dato in hunc modum apud HVNDIVM Gewoldi, & vol. XI.
Mon. boic. p. 529:

„ In Nomine -- Henricus divina favente clementia Rex. --
Notum fit -- qualiter quidam fidelium nostrorum comes officio
nomine *Adalbero* -- quoddam Monasterium Puellarum ad re-
gulam S. Benedicti in honorem vero S. Magni confessoris in lo-
co nomine *Chuebach* in comitatu Herteshusa de prædio & col-
laboratu suo fundavit. -- Data sexto Kal. Julii IX. ann. dom.
Incarn. millesimo undecimo. Anno vero Domini Heinrici se-
undi regnantis X. actum in *Regensburch* feliciter amen. “

De anno & die obitus, nihil certo constat. Obiit autem
paullo post fundationem in flore ætatis, ut ex dictis facile
colligitur.

Vxo.

Vxorem ei fuisse *Alberadam*, ex Francia, orientali nescio, an occidentali, oriundam, ex eaque suscepisse prolem *Willbirgen*, primam loci a se fundati Antistitem BRVSCHIO & GEWOLDO id afferentibus eo lubentius credo, quod ex utriusque & monumentorum boicorum fide, in hodiernum usque diem sub choro Monialium in crypta conspiciatur sepulcrum cum hoc epitaphio lapidi inscripto:

„Continet iste locus comitis laudabile corpus,

Albrat enim fertur flebile quod moritur.

Francia quam dederat, gaudens hæc terra foyebat,

Dum vixit, statuit optima quæ potuit. “

Evidem HVNDIVS, huncque præ GEWOLDO incaute sequutus Auctor originum dom. boic. Tom. II. p. 74. *Adalberon* secundo uxorem tribuit *Willbirgen* Ebersbergensem, manifesto errore. Prima enim *Willbirgis*, *Adalberonis* I. soror innupta, Nepotis ex fratre coniux esse non potuit. Neque etiam secunda *Willbirgis*, *Vdalrici* filia, & *Adalberonis* tertii, quem BVATVS cum secundo confundit, soror, fratris germani thorum incestu maculare voluit, cui alii duo mariti suo loco assignantur.

Nihil ergo obstat, quo minus credatur Kuhbacensium traditioni, *Alberadam*, *Adalberonis* II. uxorem, & utriusque filiam *Willbirgen* statuenti.

Num. X. VDALSCHALCVS I. & II.

Non modicam *Vdalschalcus* iste, quem chartæ ebersbergenses inno prætereunt, mihi crucem figit. Facile AVENTINO, eiusque sequacibus, HVNDIO præsertim adstipulor, qui

non

non modo in Metropoli, sed etiam in Stemmatographia Tom. I. p. 140. *Adalberoni* I. duos filios assignant, *Adalberonem* II. & istum *Vdalschalcum*, eosque cœnobii Kuhbacensis fundatores asserunt. Perlibenter etiam dicerem *Vdalschalcum*, fraternæ fundationis restauratorem, ad annum usque 1048, quo *Adalberoni* coœvus occurrit *Vdalschalcus*, dies suos protraxisse, nisi vehementer obstat *Chronicon ebersbergense* utrumque, diserte affirmans, *Vdalricum* ad fratres suos successive præmor tuos anno 1029 abiisse.

Quoniam vero in texendis veterum genealogiis, ubi synchrona monumenta deficiunt, coniecturis probabilibus non raro indulgent eruditii, & cordati quoque scriptores, fas erit & mihi suspicari, *Vdalschalco* primo ex coniuge incomperta natum fuisse filium *Vdalschalcum* II. in eodem comitatu, quo patruus *Adalbero* II. rerum potitus, cui restauratio Kuhbacensis attribui rectius queat. Cælebs enim vixisse, aut liberis caruisse, ideoque facile adduci potuit, ut cœnوبium a patruo *Adalberone* II. exstructum, & nuper in cineres redactum, suo ære repararet, quod hæredibus necessariis cedere iam non poterat.

Sane *Vdalschalcus* sub Goteschalco Episcopo frisingensi, qui sedem illam ab anno 994 usque ad an. 1006 occupavit, alias ab illo videtur, qui adhuc anno 1048 *Adalberoni* III. con vixit, cum *Vdalschalcus* primus ante annum 1029 diem clauserit. Quumque uterque *Vdalschalcus* in illo terrarum tractu, ubi Herethusu *Adalberonis* II. comitatus situs erat, bona prædiaque possederit, hinc non inepte mihi coniicere videor, alterum *Vdalschalcum*, prioris filium, in bona patris avita succellisse.

Priori *Vdalschalco* congruit commutatio, quam is cum *Goteschalco* Episcopo frisingensi iniit apud MEICHELBECK H. F. Tom. I. P. II. n. 1139:

„Noverint - dedit namque prædictus comes (*Vdalschalcus*) quidquid proprietatis habuit - in manus Episcopi & Advocati sui Helmperti ad altare S. Mariæ - æternaliter existendum. Econtra vero Episcopus cum consilio fidelium suorum - ac per manum Advocati sui supra assignati eidem nobili viro *Vodalchalco* de rebus ecclesiæ suæ in loco *Satana singa* dicto atque in proximo iacentibus locis ad *Helidgereshusun* (Hilkershausen in hodierna præfectura *Aicha*) pertingentibus, sub eiusdem comitis potestate tunc temporis in beneficium detentis æquam mensuram in proprium retradidit.“

Porro *Vdalschalcum* iuniorem eundem comitatum possesse, evincit diploma Conradi II. Imperatoris de anno 1033, quo prior iam defunctus erat, apud eundem MEICHELBECK loc. cit. P. I. pag. 229;

„Chunradus - dedi ad altare - in civitate Frisinga - curtem *Enilingan* (*Ainling*) sitam in comitatu *Vdalschalci* comitis.“

Singula loca prædicta sita sunt in hodierna præfectura *Aicha* circum cenobium Kuhbach, hoc est, in veteri comitatu *Herteshusen*, qui adeo ab *Vdalschalco* I. ad secundum transiit, ut videre est in Mappa topographica finkiana tab. XVII. aut quavis obvia.

Vdalscalcus I. Advocatus erat Episcopi frisingensis *Goteschalci*, & eius filius cum *Adalberone* II. comite testem
inquit agebat

agebat in commutatione dicti Episcopi , & eius servi Luitber-
ti apud MEICHELBECK loc. cit. P. II. n. 1151.

„ Trādidit namque idem servus - in manum Episcopi &
eius Advocati *Vodalschalci* - Testes Adalpero comes. *Vodal-*
scatch comes. “ Ipse enim Advocatus testem simul agere ne-
quibat.

Vdalschalcus autem junior, *Adalberoni* III. coævus, ut
Episcopi *Egilberti* Advocatus omni fere pagina occurrit apud
MEICHELBECK , ut infra in *Adalberone* III. adparebit.

Quum omnes *Adalberonis* I. filii ante *Vdalricum* successi-
ve obiverint , hic autem fratres suos anno 1029 sequutus fue-
rit ; hinc *Vdalschalcum* priorem ante istum etiam annum vi-
tam cum morte mutasse , consequitur.

Vdalschalcus H. post annum 1048 nusquam mihi visus est ;
iste ergo eidem fatalis fuisse potuit. Hoc ipso autem anno una
cum *Adalberone* III. patruele occurrit in diplomate apud MEI-
CHELBECK in Chronico benedictoburano Tom. I. p. 39.

„ Henricus - Imp. aug. Noverit universitas , qualiter nos
divini amoris instinctu ac pro remedio animæ nostræ , sive in-
terventu atque petitione *Adalperonis* comitis , nec non Gote-
helmi Abbatis tale prædium , quale in illis quatuor villis *Bu-*
ron , *Chochalon* , *Puhila* , *Orta* nominatis Monasterio in ho-
nore S. Benedicti Conf. Chr. in eadem villa *Buron* construēto
prius pertinere videbatur , situm in comitatu *Oudalschalci* co-
moris , in pago vero *Huoson* , & postea in beneficium multis
datum fuit. XI; Kal. Novb. an. dom. Incarn. 1048 Ratisbone. “

Num. XI. *Quinque ADALBERONIS I. filii anonymi.*

Chronicon ebersbergense prolixius p. 7 :

„ Adalbero autem (*primus*) ebersbergensis castri mœnia consummavit, qui septem filios habuit elegantes ex uxore sua dicta Leutgardis, & insuper octavum. “ Id quod etiam ex n. 8. & n. 9. patet. Demtis igitur *Adalberone II.* *Vdalchalco I.* & *Vdalrico*, quinque supersunt, de quibus plus non constat, quam natos fuisse atque denatos.

Num. XII. *VDALRICUS.*

Pergit Chronicon mox citatum:

„ Et insuper octavum, quem S. Vdalricus augustensis Episcopus de sacro baptismatis fonte levavit (Chronicon breve ait: *quem S. Vdalricus baptizans*) æquivocum fecit. Quem etiam puerum pater hospitibus præsentare noluit, occultabat eum alienis, quia natura plus aliis infirmior videbatur; dissimilis enim fuit septem fratribus quoad elegantiam pulchritudinis sui vultus, ac etiam infirmior, sed credo ipsum quoad augmentum meritorum & virtutum plus omnibus fuisse formatum. “

Narrat deinceps auctor mirabilem eiusdem sanationem vota obtentam supra n. 8. & prosequitur pag. 8 :

„ Igitur post hæc Vdalricus idem viribus & virtute proficiens ab omnibus honore prævenitur: pollet ingenio, ac inter multa quæ gessit prælia invulnerabilis semper exstitit. “

Refert porro dedicationem ecclesiæ a Friderico Archiep. salisburgensi anno 970 factam, & introductionem Benedictino-
rum

rum ann. 990, reliquam vivendi rationem, ac tandem obitum
pag. 10:

„Idem venerabilis Comes oculum sinistrum in senecta do-
luit, quem non curare valuit. Igitur *Guntherus* heremiticam
vitam ducens, multæ contemplationi deditus, post secretam
confabulationem cum eo prædixit, eum ante se moriturum,
& prædia eius de multis aggregata, non in suos cognatos, sed
ea prænuntiat ad manus transire alienas. Deinde post pau-
cos dies senex ipse feliciter in Christo requievit quarto Idus
Martii an. dom. incarn. Millesimo vigesimo nono, & digno
eum honore sepultus est iuxta coniugem suam in Ebersberg.“

Chronicon brevius habet IIII. Kal. Martii.

Necrologium vero „V. Idus Martii Oudalricus comes obiit.“

Num. XIII. RICHARDIS VXOR VDALRICI.

Chronicon ebersberg. prolixius pag. 8:

„Igitur Comes *Vdalricus* postea duxit vxorem *Richar-
dem*, sororem *Marquardi Marchionis* de Carinthia (Chro-
nicon brevius *Præsidem* adpellat) quæ fuit nobilissima genere.“

Post narratam visionem mortis praembulam pergit p. 9. b:

„Quæ statim infirmata & die obiit Nonas Kalendas Maii
& in eodem castro sepulta est an. dom. incarn. Millesimo tertio
decimo a filiis suis.“

Necrologium pag. 16:

„VIII. Kal. Maii Rikkart comitissa vxor Vdalrici obiit.“

Num.

Num. XIV. Concubina Vdalrici anonyma.

Chronicon prolixius pag. 9. a:

„ Anno igitur dom. incarn. nongentesimo nonagesimo Reginboldus augustensis abbas adunatis Monachis præficitur, cui quidam miles *Eberhardus* nomine filium suum *Altmannum* vocabulo monastice educandum dedit, quem genuit de *Ruthru. de*, quæ fuit Vdalrici filia ex concubina. “

Num. XI. XVI. HADEMUDA, uxor Marquardi II.
Marchionis Carinthiae.

Chronicon prolixius pag. 8. a:

„ Ipse Vdalricus suam fororem *Hademudem* (Marquardo II.) in coniugium tradidit, quæ post obitum mariti cuncta sua pro Dei nomine derelinquens, in Palæstinæ partibus mortua pluribus signis coruscavit. “ Vide probationes ad tabulam secundam n. 3.

Num. XVII. ADALBERONIS I. tres filiæ.

Harum meminit Codex traditionum ebersbergensium supra n. 9. allegatus.

Num. XVIII. ADALBERO III.

Chronicon brevius:

„ Post hæc Oudalricus genuit *Adalperonem* (tertium) *Eberhardum* (secundum) *Willipurgam* (secundam) & alias tres filias. „ Addit Chronicon prolixius p. 8. b. „ qui fuerunt de regio semine Henrici Cæsaris, & Caroli M. Regis invictissimi.“

In celebri illa disceptatione inter Chouradum Imperatorem & Egilbertum Episcopum frisingensem de Abbatia Mosburgensi, præcipuo loco occurrit Adalbero noster cum *Vodalschalcō* secundo fratruelē apud *Meichelbeck* H. F. Tom. I. P. I. pag. 221. seq.

, Anno dom. incarn. MXXVII. indict. XI. præfatus dominus Chuonradus Imp. aug. anno regni sui III. imperii vero I. cum accepta imperiali benedictione de Italia cum exercitu reverteretur, in urbe ratisponensi confedit, ubi inter cætera placuit omnes Bavariæ provinciæ comites & electos iudices per Sacramentus regale admonere, ut possessiones & prædia intra eandem provinciam sita, quæ novissent ad solium sui imperii iure pertinere, eodem Sacramento publice interrogati manifeste pronuntiarent.

Imperator ergo hanc Iudicij translationem & cætera nimis curiose animo perpendens, tandem ob amorem ac iustam petitionem supradicti venerandi Præfulis Egilberti cum consilio optimatum suorum tam Francorum quam istius Provinciæ Principum ADALBERONI comiti, in cuius comitatu ipse locus Mosaburc situs est, imperiali præcepto iniunxit, ut in placi-
to suo per legitimas indicia huius rei veritatem iux-
ta legem baioaricam diligenter apud Iudices inquireret. - - -
Tunc domino Episcopo Egilberto pariter cum comite Adalperone residente & præsentibus etiam comitibus Arnulfo, Pop-
pone, Eparhardo, Chadalhoho & multis alijs viris illustribus
inter defensores utrinque partis *Vodalschalcum* scilicet frisin-
gensis ecclesiæ advocationem - - lis & disceptatio legitima cau-
sæ ipsius tamdiu ventilata est, donec lite finita Iudices om-
nes per ordinem propriis sedentes in sedibus iuramento con-
stricti

stricti s^epe dictum prædium *Mosaburc* cum sua vestitura in ius atque dominium frisingensis ecclesiæ iure perpetuo pertinere affirmabant, nec unquam pro libera abbatia vel esse, vel haberi debere testati sunt. His ita peractis comes *Adalpero* per Advocatum venerabilis (Episcopi *Vodalschalcum*, ut mos est, rogatus, banno consueto prædium idem frisingensi stabilit ecclesiæ.“

Exstat apud eundem MEICHELBECK loc. cit. pag. 230. & apud OEFELIVM II. p. 44. n. 5. sed paullo immutata complacatio *Adalperonis* nostri cum dicto Episcopo frisingensi anno MXXXIII. in hunc modum:

„ Notum sit - - concambium quod effectum est ab Egilberto frisingensis cathedral^e Episcopo cum *Adalperone* filio *Oudalrici strenuissimi Comitis*, regula iustitiae noricæ provinciam gubernante. Tradidit namque idem Antistes prædicto *Praefidi* per manum *Vodalschalcii* advocati. - - Nec mora præfatus Praeses conferta ac superaffluenti recompensatione universa Praesuli retribuit. His igitur transactis *præfatus comes* prædium a præfato Pontifice acceptum, veluti moris est, triduana possessione in proprium ius vendicavit. Pactum namque huius traditionis anno MXXXIII. ab Incarn. Indict. II. excellencia clericali nobilitateque militari, ac familia utriusque partis id adprobantibus peractum, ad notitiam Cæsaris CHVNRA-DI II. Rom. Imp. aug. ipsiusque filii HENRICI Noricorum Ducis cum esset delatum, regia eorumdem auctoritate, seu iussu stabili tenore roboratum est. - - Postmodum vero *idem comes* ipsius prædii proprietatem - - dedit ad altare S. Sebastiani in cœnobio Eperespensi.“

Chronicon ebersbergense prolixius pag. 10:

„ Anno

„Anno MXXXVII. *Adalpero* cum fratre suo *Eberardo* accepto familiarium suorum consilio - - indeficientis devotionis ad ecclesias construendas animum gerentes, commoda & honores earum desiderant salubriter dilatare. Anno eodem *Adalpero* diviso cum fratre suo *Eberardo* æquali sorte patrimonio, ebersbergensis castri ædificia quæque destruens, ipsum monasterium, quod ad ipsum castrum suus Patruus (Propatrius) *Eberhardus* cum fratre eius *Adalberone*, & post Pater eius *Oudalricus*, bonæ in Christo memoriaræ, extruxerat ampliare disposuit, solummodo ibi claustrum novum ædificans ad austrum Basilicæ, tempore Altmanni Abbatis.“

Annum obitus Adalberonis huius utrumque Chronicon ebersbergense ponit ad **XLV.** Et brevius quidem pag. 14. his verbis:

„Anno **XLV.** obiit in castro *Perſenpeuga* omnia committens coniugi recte tractanda, quæ pro anima eius S. Sebastiano dedit comitiam in *Perſenpeuga* cum omnibus attinentiis suis.“

Prolixius vero pag. 11. hæc habet.

„Anno igitur Incarn. dom. quadragesimo quinto obiit *Adalpero* in castro *Posenpeug*, omnia committens Reuchlini suæ coniugi recte tractanda, & quod omnia sua prædia post eiusdem suæ Vxoris obitum, quæ in terminis haberet circa Inchofen sita, pro suæ remedio animæ Deo & S. Sebastiano donaret, ut eius interventu Christum haberet propitiabilem & placatum: quæ omnia, sicut dixit, adimplevit, insuper comediam in *Posenpeug* cum omnibus suis adhærentiis, quam *Adal-*

Eccœ

berō

vero adhuc vivens de consilio sui fratris *Eberhardi* S. gebastiano legaverat, *Richlind* sua coniux liberaliter & absolute Ecclesiæ ebersbergensi resignavit.

At vero *Adalberonem* anno 1048 adhuc fuisse superstitem, constat ex diplomate Benedictoburano, supra n. 10.) allegato, quem idecirco etiam eidem fatalem supponere licet, quum postea nuspian occurrat eius memoria.

Diem obitus Necrologia ebersbergense & benedictoburatum signaverunt :

„ V. Kalend. April. *Adalbero* comes filius Oudalrici obiit. „

Num. XIX. RICHLINDIS VXOR ADALBERONIS III.

Genuinum hoc esse Matronæ nomen, non autem *Richardis*, ut Monachus Weingartensis de Guelfis Principibus, eumque sequuti CHONRADVS Urspergensis apud Pfeffingerum ad VITRIARIVM Tom. II. p. m. 407. VITVS Ebersberg. p. 710. & ARENPECKIVS Pezianus Tom. III. P. III. col. 210. neque *Richilda*, ut traditio frisingensis apud MEICHELBECK H. F. Tom. I. P. H. n. 1165. aut *Richildis*, ut AVENTINVS Annal. Boior. V. 7. n. 34. appellant, ex chartis ebersbergensibus abunde claret.

Chronicon utrumque pag. 13. b. & 8. b :

„ Adalbero duxit Vxorem *Richlindem*, filiam Rudolfi Suevi sororem Welfardi comitis, qui rebellavit Henrico Regi secundo. Hæc sterilis fuit.

Diplo-

Diploma HENRICI III. Imp. de anno 1040. apud HVNDIVM
Gewoldi Tom. II. p. 191. edit. nov.

„Henricus -- quapropter omnes -- nescant, qualiter quidam nobilis comes nomine *Adalbero*, consentiente Vxore sua *Richlinda* quoddam monasterium nomine Ebersberg in comitatu Steinheringa de praedio & collaboratu suo fundavit.“

Præterea *Richlindis* nomen frequens occurrit in traditionibus ebersbergensisibus. Steinma illius Guelfico - Saxonicum exhibet tabula III. cum suis probationibus. Tragicum vero obitum refert Chronicon ebersbergense prolixius pag. 11. b;

„Abbas Altmannus ut hanc comitiam (*Posenpeug* in Austria inferiore) susciperet, ivit cum *Richlinde*, quæ spredo consilio quondam *Vdalrisi* invitat Cælarem in castrum *Posenpeug*, ut beneficia cum comitia *Adalberonis* committeret conferret abbas Altmannus præsente Cæsare Welfardo Duci filio fratris sui (*clarius id exprimitur in Chronico breviore hunc in modum* : ut beneficia comitatumque Adalberonis committeret Welfardo Duci filio fratris sui. Quod ad explendum dum Cæsar ferulam Abbatis Welfardo porrigeret, de loco cedente columna lignei cænaculi, in quo federunt, ceciderunt in locum balnei -) ex qua ruina, pergit Chronicon prolixius, *Richlindis* deinceps & Altmannus graviter ægrotantes in brevi tempore ambo moriuntur.“

Refertur hic casus ad ann. 1045. in codice traditionum ebersbergensem pag. 26. n. 57 :

,, Defuncta igitur Richlinda anno MXLV. II. Id. Iunii quo & Adalbero Maritus eius mortuus est, id est ab Incarn. dom. millesimo quadragesimo quinto Welfardus Dux, qui erat filius Welfardi fratris eius, dedit Domino & S. Sebastiano. . . .“

Quia vero Adalbero, post cuius obitum hic casus accidit, anno 1048 adhuc superstes fuit; (n. præc.) ideo hunc ipsum annum substituendum duxi.

Diem emortualem eundem, ut supra, notat Necrologium ebersbergense:

,, II. Idus Iun, Richlind comitissa obiit, Vxor Adalberonis (tertii) . . .“

Num. XX. EBERHARDVS II.

Germanum fuisse Adalberonis fratrem, & filium *Udalrici* secundo genitum, indubium est ex N. 18.) Quum tribus, quos genuerat, filiis suisset orbatus, animum induxit ad fundandum monasterium in Geisenfeld, quod patet ex sequentibus Chronicis ebersberg. prolixioris verbis pag. 10;

,, Eodem tempore & anno MXXXVII. Eberhardus frater Adalberonis de bona voluntate suæ coniugis *Alheidis* ad laudem & gloriam nominis Dei & S. Dei genitricis Mariæ & Sanctorum cœpit de novo fundare monasterium sanctimonialium super Ilmam fluvium dictum *Geysenfeld* ord. S. Benedicti in diocesi Ratisponensi, & laudabiliter domino concedente consumavit, ditans illud claustrum multis divitiis & honore. . . .“

In

In diplomate fundationis, cuius originale non amplius, sed vernacula eius translatio exstat apud *Hundium GEWOLDI* in Metropoli Tom. II. p. m. 247. adpellat se comitem de *Mourach*, cuius etiam familiæ insigniis hodie utitur monasterium istud; facileque largitur *Hundius*, comitatum illum in Nordgovia, hodierno Palatinatu superiore Bavariae, *Eberhardi* suisse patrimonium, illumque nomen inde traxisse.

At ego vehementer suspicor, in hanc versionem errorem irreplisse, & *Eberhardum* in originali dictum suisse comitem de *Murau*, vel *Mureck* in Carinthia. Nuspianum enim hoc ævo comites de *Mourach* occurunt. Nec etiam vero videtur simile, Semtenses comites bona quædam in Nordgovia possedisse, cum prædia a fundatore donata pleraque non ibidem, sed in Bavaria & Oriente, hoc est, Austria & adiacentibus provinciis sita fuerint. Facilius mihi persuadeo, locum *Murau*, vel *Mureck* in Carinthia, unde & comites *Murzthalenses*, *Ebersbergensibus* propinquitate iuncti, nomen traxerunt, a matre *Richarde*, *Marquardi* II. Murzthalensis Carinthiæ Marchionis sorore, ad *Eberhardum* II. pervenisse, indeque Comitem de *Murau* vel *Mareck* (facile confundendo cum *Murach*) se scripsisse.

Quid? quod præcipui post Babonem Schyrensem testes in diplomate foundationis subscripti, non Nordgovia, sed Carinthia acciti fuerint, nim. sequentes: *Udalricus Marchio*. *Adalbero Marchio*. *Otacher frater* *suis* - - ambo amitæ fundatoris filii. (tab. II.) De *Ebersbergensium* vero comitum cum *Mourachenibus* in Nordgovia quapiam affinitate nullum omnino vestigium reperire est.

Quo

Quo tempore sanctimoniales trabes transversas (*Sparren*) Mourachensi familiæ proprias, & Witelspacensibus non dissimiles insigniis suis adiecerint, certo definire non ausim, crediderim tamen, id non nisi post editam HVNDII stematographiam contigisse. Quum enim in vernacula diplomatis Eberhardini versione fundatorem legerent comitem de *Mourach*, in HVNDIO autem Muracensium scutum conspicerent; hoc ipsum sigillo suo addidisse, vero admodum simile redditur.

Vt ut autem hæc se habeant, foundationis compendium exhibet codex tradition. geisenfeld. apud HVNDIVM loc. cit.

„ Omnes sancte Dei ecclesie fideles tam presentes quam futuri noscant, quod celebris memorie *Eberhardus* comes vil-
lam nomine Geisenvelt tradidit ad altare sancte semperque Vir-
ginis Marie beatique Zenonis structum in eadem villa. Tra-
didit etiam - - quidquid - - hæreditario iure possedit, ea
nimirum lege, ut post suum fratrisqne sui *Adalberonis* eius-
que coniugis *Richlinde* obitum prædia cum familia & cum ad
ea pertinentibus fororibus ibi servientibus Deo perpetuo suffra-
gari debeant. - - “

In traditionibus geisenfeldensibus mentio huius comitis postrema vice occurrit ad annum 1065. unde suspicari fas est, illum circa hunc annum obiisse.

„ Notum fit - - qualiter quædam mulier Engilrait nomine tradidit se & filios filiasque propria voluntate ad monasterium sancti Zenonis in loco, qui vocatur *Gisenvelt* in potestatem comitis *Eberhardi* ad unum censum denariorum reddere mo-
nasterio & S. Zenoni, & dato censu vivere liberam se omnes-
que

que affines eorum. Facta sunt hec anno millesimo sexagesimo quinto regnante Rege Heinrico & presente comite Heberhardo.“
Ita anecdotum.

Diem obitus discimus ex Necrologio ebersbergensi.

„VIII. Kal. Aug. Eberhardus comes filius Oudalrici obiit.“

Num. XXI. ADELHEIDIS, VXOR EBERHARDI II.

Ex austriaca Babenbergensium profapia illustrem hanc Matronam ortam fuisse, sanctimonialibus in Geisenfeld olim persuasum erat, haut dubie deceptis epitaphio, quod in Ecclesia monastica ibidem e regione alterius, *Gerbirgi* Abbatissæ positi, cum hac inscriptione hodie visitur :

Heus Viator. Hoc saxo tegitur filius & filia nobilis comitis Eberhardi in *Murach* atque domine Adelheidis ex Archiducibus Austriæ præstantissimæ feminæ, qui cenobium in Geisenfeld ab ipsis fundamentis & præcipua fide & summis do-tibus exornarunt. Heic latere volui. Vale quisquis es, & manibus suam tranquilitatem precare.“

A 86.

Numerus A saxo inscriptus, qui illo ævo Septenarium denotabat, hoc loco significare videtur vocalem A. & exprimere Annum octogesimum sextum supra millesimum quingentesimum subpressum, sed tamen subpositum, & tempore positi monumenti omnibus notum.

Porro titulus *Archiducis*, qui decreto Friderici III. Imp. Principibus Austriæ demum an. 1455 tributus fuit apud PFEF-

FINGE-

FINGERUM ad VITRIARIUM Tom. II. pag. 24. seq. & a temporibus Maximiliani I. Imp. perpetuus esse cœpit, ætatem huius inscriptionis demonstrat.

Idem error quoad Originem Austriacam irrepit in diploma anecdotum Maximiliani I. Imp. quo privilegia & iura huius Parthenonis confirmat in hæc verba:

„Wir MAXIMILIAN — bekennen - das vns die Ersamen wnnfer lieben Andechtigen Katherinn Ebbtissin vnd Convent des Gotzhauss zu Geiffenfeld diemuttiglich haben angerueffen vnd pitten lassen „ das wir Innen vnd Irem Gotzhaus ire Gnaden, Freyhaiten, Rechtbrief, privilegien, Salbuecher, vnd hanndtvesten, die Inen von weiland iren Stiftheren vnd Frowen Graf Eberharden von Maurach, und Adelheiden gepornen Hertzogin zu Osterreich Gemahel — gegeben - Linntz 30 Aug. 1517.“

Vbi tamen observo, Imperatorem, et si istam Adelheidem ex sua prosapia oriundam fuisse existimaverit, eam tamen Archiducis titulo non salutasse, quippe quod sciret, illi ævo quo non nisi Marchiones erant, eum minime competiisse.

Ex erronea hac persuasione in sigillo Parthenonis istius hodieque conspicitur clypeus austriacus, nempe fascia alba, rubrum interfecans. Deceptioni isti ansam forte præbuit sigillum quodpiam, aut marmor sepulerale Comitum Semtenium, quorum scutum exhibet HUNDIUS album cum fascia tessellata rubri & nivei coloris, quod cum colores non satis erant discreti, facile confundi poterat cum Austriaco, quemadmodum Muracense cum Witelspacensi.

Sed

Sed præterquam quod tempore fundati cœnobii insignia gentilitia vixdum in usu fuerint, certum est, hodiernum scutum austriacum demum sub *Friderico II. Austriaco* — Babenberensi circa an. 1232 obtinuisse, ut compendio videre est apud *Sigismundum CALLES Annal. Austr. Tom. II. p. 275. not. C. D.*

Iam vero *Adelheiden* istam e Saxonia esse repetendam, satis constat ex gemino Chronico ebersberg. Et brevius quidem p. 13 :

„Eberhardus vero duxit Adelheidem Saxonem.“

Prolixius p. 8 :

„Eberhardus vero duxit Adelheidem de Saxonia.“

AVENTINUS V. 7. n. 34 :

„Eberhardus coniugio sibi iunxit Adelheidem in Saxonia ortam. Hi Geisenfeld contubernium sacrarum fæminarum dicarunt anno a Christo nato MXXXVII. Gerpyrgam virginum maximam ceperunt . . .“

Quo autem genere orta fuerit, quo anno dieque obierit, nullibi consignatum inveni.

Num. XXII. WILLPIRGIS II.

Propius paullo ad propositi problematis discussionem hac semita perductum me sentio. Hæc *Willpirgis*, indubia *Adelberonis III. & Eberhardi II.* soror, *Udalrici* filia (n. 18.), mater etiam certissime existit *Gerbirgis*, prima a fratre fundati Parthenonis geisenfeldensis Abbatissæ, cuius ibidem cernitur Cenotaphium, ænigmatis præsentis occasio, in cuius patrem modo inquirendum est ; quum recentior quidam Chronistes

apud RADERUM Bavariæ sanctæ Tom. II. pag. 179. dicat: *Cui-
nam mortalium nupserit Willpirgis nupsiam facile licet re-
perire.*

Num. XXIII. WERIGANDUS,
prior *Willpirgis maritus.*

Istum prodit Codex traditionum geisenfeldensium in hæc
verba:

„Eadem Comitissa Wilibirch ex petitione filie sue Liut-
karde tradidit ad altare S. Marie sanctique Zenonis premium
quod vocatur *Solari* cum fundis ecclesie & mancipliis VIII.
molendino & pratis ac omnibus, que ipsa ibi hereditario iure
possedit, ea lege, ne cuiquam in beneficium detur, nec quo-
quam modo domui Dei auferatur, sed in prebendam prefate
filie sue L. & in memoriam sue anime defunctique mariti *Wer-
rigandi*, omniumque parentum suorum, sororibus ibi Deo
servientibus perpetuo suffragetur.“

HUNDIUS in Stemmatographia Tom. I. pag. 141. *Werigandum* istum *Lutgardi maritum* tribuit, cuius pater erat,
eumque comitem de *Mospach* adpellat.

At vereor, ne illum cum altero *Werigando* confundat, qui
diplomati *Henrici III. Imp.* quo fundationes monasteriorum in
Ebersberg & Geisenfeld confirmantur, testis interfuisse dicitur.

„Dieser Fraw Luikart Maen, verba sunt HUNDII, war
Werigand Graf zu Mospach, welcher neben andern ein Zeug
war Keyser Hainrichen des dritten confirmation der beyden
Stift Ebersberg und Geisenfeld an 1040.“

Porro

Porro testes huius diplomatis mihi non visi hos recenset
idem HUNDIUS in Metropoli II. p. m. 245. Edit. ratisbon.

,, Ulricus Marchio, vnser Oheim, scil. Imperatoris, We-
rigandus de Mospach.“

In diplomate de eodem anno 1040, quo Henricus III. Imp.
fundationem monasterii Ebersbergensis confirmat, nullus omni-
no testis comparet, & alterum pro Geisenfeldensi non super-
est. Vnde ergo hos testes HUNDIUS deprompsit?

Quis autem non videt, Willpirgen non de filiae, quæ
nullum forte unquam habuit, sed de suo marito, de sua ani-
ma propria, de suis parentibus loqui; utpote cum ipsa, non
autem filia, licet interveniens, donationem de rebus suis hæ-
reditariis fecerit.

Vero præterea videtur simillimum, WILLPIRGIS maritum
eo tempore, scil. anno 1037, quo EBERHARDUS frater Geisen-
feld fundare coepit, iam defunctum, ideoque diversum a Co-
mite Mospacensi fuisse: secus hæc matrona non utique per ma-
num *Udalrici* Marchionis, sui ex filia nepotis, sed pro sœculi
illius more per manum *Senioris* sui, h. e. mariti, traditionem
(n. 31.) aut mariti saltem consentientis mentionem fecisset.

Eccur inter bene multos foundationis Eberhardinæ testes,
ubi plures Carentani leguntur, nullus WERIGANDUS comparet,
cum tamen in favorem filiae eius Gerbirgis illa facta fuerit;
si eo adhuc tempore, hoc est, anno 1040 existisset?

De *Lutgardis* coniugio quocunque incerta, dubiaque omnia. At vero WILLPIRGEN filias aliquot peperisse, ideoque & maritum habuisse, ambigi nequit, nisi fornicariam quis criminari ausit.

Sit igitur WERIGANDUS alius ab illo, si quis unquam vixit, *Mospacensi* comite, non *Liutgardæ*, sed *Willpirgæ* huius maritus.

Vbinam autem locorum illum invenire erit? Ego in Carinthia investigandum censeo; in hac enim provincia frequens, extra illam vix raro, nomen *Werigandi* illo ævo occurrit. Ipse *Ulricus* Marchio, WILLPIRGIS nostræ ex filia nepos, unius filiorum suorum *Werigandi* nomen imposuit. Vid. n. 13, ad tab. V. & tab. IV.

Iam supra n. 20. suspicio mihi oborta fuit, EBERHARDUM, WILLPIRGIS nostræ germanum, non de *Murach*, in hodierno Palatinatu superiore Bavariae, sed de MURAU, vel MURECK, locis ad *Muram* fluvium in Carinthia hodie dum sitis, Comitem se scripsisse. Late siquidem in Oriente per Austriam & adiacentes regiones dispersæ erant Semtensium Comitum possessiones, aut avitæ a progenitoribus *Sigehardo* & *Ratholdo*, Carinthiæ olim præfèctis, seu Marchionibus, aut connubio *Udalrici* cum *Richarde* e Murzthalensium Comitum stirpe inito ad eos devolutæ.

Quid igitur mirum, si, quemadmodum *Udalricus* uxorem inde accepit, & sororem suam Murzthalensi Comiti iunxit, rita & WILLPIRGIS in eodem Carinthiæ ducatu olim amplissimo patris nobilitatis viro iuncta fuerit? Certe alter eius maritus Istriensis Comes erat, ut ad Num. seq. conabor evincere.

Ad

Ad scopum istum peropportune in tabulis parentinis apud VGHELLUM Italiæ sacræ Tom. X. in addendis pag. 313. relatis ad annum DCCCCXC. occurrit. „Dominus Huerient (seu Werihent) Histriensis Comes pro tribunali sedens.

Apud Bernard. M. de RUBEIS in Monument. Aquileiens. eccl. pag. 490. exstat diploma OTTONIS III. Imp. de anno 1001, quo medietatem villæ, quæ slavonica lingua dicitur Gorizia, Patriarchæ Aquileiensi, alteram vero medietatem Variento Comiti Foroiuliensi largitur. Vtriusque Patriarchæ, & Comitis, iura confirmingant iudices cum Ottone Duce Marchiæ Veronensi præfecto, sententiam in hunc modum ferentes:

„Datum in Dei nomine civitate Verona in dom. Episcopi S. Zenonis solarii dom. Orberti Episcop. resideret dominus Hotto Dux istius Marchiæ ad singulorum hominum iusticias faciendas & deliberandas, residentibus cum eo predictus dominus Hotbertus (recensentur nomina comitum) inque eorum veniens presentia VUERICHEN Comes comitatus Foroiulii, & ostendit sibi præceptum unum - - sicut hic subter legitur:

In nom. S. & individ. Trinit. Ho . . . (Otto III. Imp.) tam presentium quam futurorum noverit universitas, quod nos interventu Hottonis nostri (Ducis) - - hen (Werihen) comiti dedimus medietatem predii quod Iohanni venerabili Patriarchæ Aquileensi contulimus, Silkano, Gorizia - - donamus quidem memorato VUERICHEN medietatem - - agrorum, camporum, pascuorum, sylvarum, venacionum - viarum & in viarum, & situum & reddituum, tam quesitorum, quam inquirendorum - - violare vel corrumpere voluerit, pena centum libras auri medietatem nostræ - - medietatem supradicto VUERICHEN.

RIHEN, Quod ut verius credatur & firmius obseruetur, hanc paginam — roborando sigillari iussimus. Signum domini Hottonis — toris Romanorum Augusti, data sexto — an. dom. incarnationis — quinta decima, anno tertii Hottonis regni. XVII. imperii sui — Actum Papiæ — Interrogatus est ipse VUERIHEN comes, per quod præceptum ipsum ostendere condixit. Vere ideo præceptum — vestris ostensi præfenci — “

Istum *Vuerihen* clarissimus editor eundem arbitratur cum *Variento*, qui in diplomate *Conradi II. Imp.* ans. 1029 legitur ibidem pag. 503:

„Concedimus (inquit Imperator) & perpetuo damus Poponi Patriarchæ & Aquileiensi ecclesie quamdam sylvam in Pago Foroiului in comitatu *Varienti Comitis*.“

Item in apographo eiusdem diplomatis:

„Conradus divina favente clementia Rom. Imp. Aug. Noverit omnium nostri fidelium universitas, qualiter nos ob interventum & petitionem dilectissimæ coniugis nostræ Gislæ Imperatricis Augustæ, ac amantissimæ nostræ prolis Henrici Regis, nec non aquileiensis sedis venerabilis Archipræfus filialis nostri Popponis Patriarchæ, cui ipse Deo dante præfudit, quamdam sylvam in pago Foroiului in comitatu *Goritiensis Comitis* (supradicti *Varienti*) incipientem a flumine Ysontio usque ad mare & sub stratum, quæ vulgo dicitur Valsetta Hungarorum usque ad illum locum ubi flumen nascitur, & ita deorsum per flumen usque ad terminum, qui est inter prædiūm sanctæ Sextensis Abbatiae & usque ad flumen Liquentiae situm, usque Liquentiae introitum in mare, cum consensu & laudatione dieteburgensis Episcopi (autor legendum existimat: Diet-
mari

mari salisburgenſis Episcop.) & eius fratriſ Vezelini, nec non comitiſ Friderici, Ioannis comitiſ, & eius fratriſ Iohannis. Iohannis filii Valerii Ragulafidi, Vdonis, Adalgarii & cætero-rum, qui amodo per eius voluntatem ſuorumque ſucceſſorum id ipsum collaudare voluerint, potestati confeſſimus - Datum VI. Idus Octob. Indict. XL an. dom. Incarn. Mill. vigesimo nono. Anno autem domini Conradi II. regni quinto. "I

Ego autem ſuſpicari malim, *Variantum* iſto anno occur- rentem, prioriſ eſſe filium, qui & ipſe genuerit *Azonem Mar- chionem* anno 1077 ſuperſitem, uti iñfra ad Tabulam IV. pro- babitur, quam cum präſente numero conferendam velim.

Facile ex dictis colligitur, *WERIGANDVM*, *Weriantum*, *Uverihentum*, vnum idemque nomen eſſe, illuſtri in Carinthia generi proprium, quod medietatem *Goritiæ* poſſedit, & Mar- cam Foroijuliſ aliquamdiu adminiſtravit.

Porro *Werigandum* noſtrum poſt annum 1001 diem ſuum obiuiſſe, probabili coniectura *Num. seq.* conabor oſtendere.

In Necrologio ſalisburgensi anecdoto legitur: II. Kal. Novemb. *Weringandus comes*, qui noſter *Werigandus* eſſe poſſet. Alter enī *Werigandus*, *Thiemonis Archiepiscopi* perſecutor tab. V. n. 13. ſui memoriam in Dyptichis huius Ecclesiæ haut fuerat promeritus, quibus non niſi bene meren- tium nomina iſeri solebant.

Num.

non est. Num. XXIV. WEZELINUS, Comes Histriensis, alter Willburgis Maritus.

Cur Semtanæ nostræ comiti alterum Maritum tribuam e Carinthia denuo petitum, ex sequentibus patebit. Interea Wezelini huius meminit *Conradus II. Imp. in diplomate anno 1029 Popponi Patriarchæ aquileiensi dato supra N. 23.*) allegato, ubi ex coniectura Editoris frater audit *Dietmari Archiepiscopi salisburg.* cuius genus hactenus nesciebatur.

Idem Bernard. M. de RVBEIS loc. cit. pag. 536. A. vetus quoddam Instrumentum protulit, quod, ut ut notæ chronicæ non satis cohæreant, dignissimum tamen est, quod heic legatur:

“ In nomine S. & individuæ Trinitatis anno dom. Incarn. XL. Regni Domini Henrici felicissimi Regis anno VI mensis Maii die 12. Indict. X. . . Qualiter illustris *Azzica* totius nobilitatis compos, Patre VECELLINO & *VILPURGA* nobilissima matre, Istriensium quondam comite & comitissa procreata. . . Dat igitur prædicta *Azzica* consensu d. *Vilpurgæ* adhuc viventis, & consensu d. *Ulderici* filii sui. . . ”

Iam igitur ante hunc annum fatis concederat *Wezelinus*, cum solius matris superstitis mentio fiat, & consensus accedat. Quoniam vero Willpircæ Nepos *Udalricus* traditioni suæ matris consentire poterat, annum numerare tunc debuit saltē decimum septimum, natus ideo anno 1023 quo & ipsa *Azzica* annum attigerat decimum septimum, nata anno 1003. Unde ulterius sequitur, intra annos 1001 & 1003 defunctum fuisse *Werigandum* priorem Willburgis coniugem.

Quem-

Quemadmodum vero Itali *Werigandum* dicunt *Veriant*, aut *Verientum*; ita & *Willbirgen* nostram *Vilpurgam*, & *Wexelinum*, *Vexelinum* appellant.

Cur autem Matronam istam non aliam a nostra *Willbirge Semtana* esse credam, sequentibus inducor momentis.

Primo. Reciproca Ebersbergensium cum Carentanis coniugia, quæ in tabula I. & II. comparent, facilem pariunt conjecturam, hanc quoque *Willbirgen* Semtanam Histriensium comiti secundis nuptiis iunctam fuisse, quemadmodum & filiam suam *Hadmoudam Marquardo III. Carinthiæ Duci*, & alteram *Azzicam Popponi Marchioni* ibidem in matrimonium elocavit.
Tab. II. n. 11, tab. V. n. 7.

Secundo. Aetas *Willbiris* post mortem utriusque coniugis anno 1040 & tempore sui ex filia Nepotis *Vdalrici* adhuc superstitis, immo quæ annos suos adhuc ulterius usque ad ann. 1064 circa produxit, omnino congruit.

Tertio, & quod rei caput est, in Traditionibus ebersberg. & geisenfeldensibus sæpius occurrit *Vdalricus* Marchio Chrenensis, hoc est, Carinthiæ vel Carniolæ, & quod observatu dignissimum est, ut *Nepos Adalberonis III. Comitis Ebersbergensis*, germani *Willbiris* nostræ fratris; quod aliter intelligi nequit, quam ut editus sit ex filia sororis *Azzica*, quam ideo uxorem tribuo *Popponi* Marchioni, hactenus ignotam omnibus, eo quod *Vdalricus* Marchio certissime filius fuerit *Popponis*, hinc & *Azzica* huius *Vxor.* *Tab. V.*

Igitur libellus concambiorum ebersberg. apud OFELE II.
pag. 45. Num. 10. hæc habet:

„ Cum VDALRICVS Marchio Chreinensis *Nepos Adalberonis* comitis per traditionem *Richlindis* (Vxoris Adalberonis) prædia *Peringen* & *Wizzinvelt* possideret, antequam nupsisset, ea tertio Henrico Cæsari petenti tradidit, quæ cum venerabilis *Williramus Abbas* (intra ann. 1048 - 1085.) secundum ius ab eo polceret, ipse in hora sui obitus (ann. 1070.) Imperatrici *Agneti* commisit ea reddere. . . .“

In Charta fundationis Cœnobii Geisenfeld secundo loco testis subscriptit *Vdalricus Marchio*.

In Codice traditionum eiusdem Parthenonis hoc legitur:

„ Noverit plebs universa, quod gloria comitissa *Wilibrich* foror præscripti *Heberhardi* comitis per manum *Vdalrici* Marchionis tradit ad altare S. Mariæ. . . .“

Ista si invicem conferantur, nemo non probabit conjecturam meam. Quid enim Marchioni Carinthiæ cum Ebersbergensium Bonis in Bavaria sitis? Cur per manum eiusdem fit traditio, nisi admodum propinquus & consanguineus fuisset?

Quid? quod *Wezelinus* iste, *Willbirgæ nostræ Maritus*, advocatione egerit *Adalberonis* Carinthiæ Ducis, matre *Hadmouda Semtana* nati, & Geisenfeldæ sepulti apud Bernard. M. de RVBEIS loc. cit. p. 500.

„ In nomine domini. In veronensi comitatu in laubia S. Zenonis solarii & (cum) in iudicio federet dominus *Chonradus* gratia Dei Imperator Augustus una cum filio suo *Henrico* ad faciendas singulis hominibus iusticias. . . Ibique in eorum veniens præsentia D. Poppo Patriarcha aquileiensis ecclesiæ cum Valperto suo eiusdemque advocate & ex alia parte d. *Adalbero* dux de *Carinthia* una cum comite VIZELINO advocate suo, qui & Walperto vocatur.

Ibi cum coniuncti essent, & altercationes inter se haberent, dicebat *Adalberto* dux cum eodem *Vizelino* advocate suo, quod de curtis & castellis, seu villis, & de omnibus tam servis quam liberis ipsi S. aquileiensi ecclesiæ pertinentibus ex parte ipsius ducatus fodrum & angarias, seu publicum servitium in panem & vinum, carnes & annonam, & alias angarias & functiones publicas sibi dare deberent.

Ad hæc respondit D. Poppo Patriarcha & advocatus eius Walpertus, hoc verum non esse. . . Tunc veniens supra dictus Walpertus advocatus, ibique per iudicium cum quatuor sacramentalibus, quorum nomina *VARENTVS*, *Ubertus*, & *Tubertus*, nec non & *Bono*, ipsius sanctæ ecclesiæ milites, qui ita iuraverunt. - -

Et quod plus est, quærimus, dicat D. *Adalberto* Dux, una cum comite VEZELINO advocate suo, si de Cortis, sive castellis, vel de villis, aut de aliis S. aquileiensis ecclesiæ viris aut per fodrum, aut per vallum supra dictum Gaforium, ulterius dicere, vel inquietare vult aut non?

Ad hæc responderunt *Adalberto* Dux & comes VEZELINVS eius advocatus: Quod dignum & iustum est dicimus, & firmiter laudamus, quod de Cortis - - nec nobis nec aliis Ducibus, nec Marchionibus, nec Comitibus, nec Sculdaſiis, neque Saldariis per legem pertinet quidquam, sed omnia in omnibus aquilegiensis ecclesiæ sunt propria. Insuper hoc in loco & in eodem iudicio obligavit se ipse *Adalperto* Dux cum VEZELINO advocate suo contra d. Popponem Patriarcham, & Walpertum advocate suum vel aquilegiensis ecclesiæ, esse compositurum centum libras optimi auri: & collaudavit, ut totidem compонerent hæredes & prohæredes, & posteri eius, si unquam contra Poponem Patriarcham vel contra quemquam alium aliquid dicere vel inquietare præsumferint. Cum hoc ita definitum est, iustum fore omnibus supra scriptis auditoribus visum est. Iudicaverunt quoque, ut iuxta eiusdem D. Poponis Patriarchæ & Walperti aquilegiensis ecclesiæ advocates, nec non *Adalbertonis* Ducis, & VIZELLINI comitis eius ducatus advocate professionem & manifestationem amodo in antea d. Patriarcha cum Walpero advocate suo ipsas cortes - - & cum omni præscripto de parte *Adalperonis* Ducis & comitis VEZELLINI advocate sui, sine omni inquisitione habere & detinere debeat. Et ipse Adalperto Dux cum WECELLINO comite advocate suo promiserit, se omni tempore exinde tacitos & contentos permanere. Taliter hæc causa finita est: & qualiter acta est, supra notitia optime demonstrat. - - Anno eiusdem Domini CONRADI gratia Dei Imperatoris Augusti in Italia primo XIII. Kal. Iunii Indict. X. — id est, ann. 1027.

Quis dubitet, *Vizelinum*, *Vezellinum*, *Wecellinum*, ut diversimode scribitur, eumdem esse cum VEZELINO Histriensium comite, WILLBIRGIS nostræ Marito, quando tempus, & locus adprime in illum conspirant?

De

De anno mortis non habeo , quod certi statuam . Illum tamen ante annum MXL obiisse , Vxore superflite , clarum est ex instrumento eiusdem anni , initio huius numeri allegato .

Diem obitus quod attinet , in Necrologio salisburgensi N. præc. citato legitur VIII. Kal. Martii. *Wecil palatinus comes :* credo , Carinthiæ , de cuius palatinis comitibus erudite differit Erasmus Frælichius in *Archontologia Carinthiæ P. II. p. 118. seq.*

Suspici fas sit , hunc esse nostrum *Wecelinum* , vel ideo Salisburgenibus memorandum , quod frater fuerit *Dietmari Archiepiscopi*.

In eodem Necrologio II. Kal. Septemb. occurrit *Wecil comes*. Alteruter aut neuter an noster fuerit , quis divinaverit ?

Num. XXV. WILLBIRGIS,
Vidua , Abbatissa secunda in Geisenfeld.

Chronicon ebersbergense prolixius pag. 10:

„ In eodem etiam monasterio sanctimonialium (Geisenfeld) Willburgis soror eorum (Adalberonis & Eberhardi) pro æterna vita terrena despiciens monasticæ religioni sanctæque conversationi se ibidem pro amore Christi subdidit , ac beatissimam vitam ducens usquequo de laborioso certamine presentis seculi ad emeritæ remunerationis mercedem a Domino suisset evocata . “

Filiæ

Filiæ suæ *Gerbirgi* in regenda Abbatia ibidem eam successisse, colligo ex traditione quadam Codicis geisenfeldensis:

„ Quidam nobilis vir *Wolfstregil* nomine dedit ad altare S. Mariæ duas molendinas cum omnibus ad ea pertinentibus, & mancipia VII. in manus *Heberhardi comitis sororisque eius* *Wichperge* *Abbatissæ* (legendum haut dubie: *Willperge*) pro nutritura filiarum suarum. “

Diem obitus notat Necrologium ebersberg.

„ VII. Kal. Decemb. *Willipirc* comitissa filia *Oudalrici* obiit. “

Annum suspicor fuisse MLXIV. Nam anno sequente, qui germano suo *Eberhardo* fatalis fuit, in traditione supra n. 20.) ubi *Eberhardi* postrema fit mentio, illa non amplius comparet.

Num. XXVI. RICHARDIS.

Hanc quoque *Vdalrici* filiam, *Willbirgis* sororem, servavit nobis codex tradition. ebersberg. pag. 36. n. 172.

„ Richart *Oudalrici* comitis filia dedit manu potestativa super altare S. *Sebastiani* tria mancipia.

Cæterum nuptane fuerit, & cui, an cælebs permanserit, quo anno dieque obierit, nullibi consignatum reperio.

Num. XXVII.

Num. XXVII. & XXVIII. RVHTRUDIS.

De hac iam actum fuit supra n. 14.) Praeter istas tres filias superest alia anonyma, de qua nihil constat, nisi natam fuisse; idque ex Chronico breviore ebersbergensi:

Posthæc Oudalricus genuit - - - *Willburgen* & alias tres filias.

Num. XXIX. EBERHARDI II. FILII TRES.

Chronicon prolixius ebersberg. pag. 8. b :

„ Eberhardus vero duxit Adelheidem de Saxonia, quæ tres genuit filios. “

Quum vero, ut idem refert Chronicon pag. 9. a.) Vdalricus nullam ex filiis suis prolem videret, illeque anno 1029 defunctus fuerit, sequitur, & istos ante hunc annum ad plures abiisse.

Si Epitaphio geisenfeldensi (supra n. 21. adducto) fides adhibenda foret, addi his filiis deberet & filia, ibidem cum fratre sepulta.

Num. XXX. LIUKARDIS, FILIA WILLPIRGIS II.

Hanc novimus e Codice traditionum geisenfeldenium supra n. 23.) An autem monialem & illa induerit, aut solum præbendam a Parthenone acceperit, non divinaverim. Plura de ea non liquent.

Num. XXXI.

Num. XXXI. *Gerbirgis prima Geisenfeldæ Abbatissæ.*

Istam *Willpirgis* filiam, & *Eberhardi* neptem extra omnne dnbium ponit Codex tradition. geisenfeldens.

„ Noverit plebs universa , quod gloria comitissa *Wili-pirch*, soror prescripti *Heberhardi* Comitis per manum *Vodal-rici* Marchionis tradidit ad altare S. Mariæ locum qui dicitur *Elsesbach* cum tribus vineis XX. & II. mancipiis silvis & omnibus ad ea pertinentibus in manum *filie sue GERBIRGE Abbatissæ* & eius advocati *Haertwici* , ut in cottidiana oratione sanctimonialium sui , parentumque suorum frequens memoria esset apud Deum. “

In eodem traditionum Codice frequens huius Abbatissæ occurrit mentio. Diem obitus servavit Necrologium weltenburgense Vol. XIII. Monum. boic. pag. 478. — VI. Kal. April. Gerbirc Abbatissa de Gisinvelt. — Annum vero certum assig-nare non valeo. Crediderim tamen, circa ann. MLXIII. eum contigisse , superstitie matre , Matrona longæva , quæ filiæ etiam in munere successit. (N. 25.)

Num. XXXII. HADMOUDA II.

Huius diserte meminit Codex tradition. geisenfeld.

„ Eiusdem Wilipirge filia *Hadmout* comitissa tradidit ad altare S. Mariæ pregium quod dicitur Hadprechtsdorf eo iure , quo ipsa possidebat. “

Chronicon ebersberg. brevius p. 13. b :

„ Oudal-

„Oudalricus ergo cum nullam ex filiis prolem videret, præter unam Virginem *Hadamouden* vocabulo (Chronicon prolixius pag. 9. *Hadewigam* adpellat) Neptem suam de filia Willipirga.

Hæc autem Virgo non permanxit; iam enim ante obitum Richlindis, uxoris *Adalberonis III.*, quem anno 1048 contigit patet ex. N. 18. & 19. filium habuit *Vdalricum*, ut constat ex Codice tradition. ebersbergens. pag. 26. n. 54.

„Hæc eadem (Richlindis) *Oudalrico*, qui filius erat *Hadomoudæ*, filiæ Willipirgæ sororis *Adalperonis* dedit prædi-
um Peringen & maius Wizzinvelt cum attinentiis omnibus,
& partem nemoris que sita est ad occidentem viæ, quæ dici-
tur Ekkilimpurganwec cum venatione totius nemoris, excepto
eo usu, quem antea dedit S. Sebاستiano, ea pactione, ut si
idem *Oudalricus* vita decebat absque prole de legali nobilique
matrimonio procreata, quæ illi superstes fiat, omnia perpe-
tuo Eberspergensi Sancto deserviant.“

Duos iam novimus *Vdalricos*, utrumque *Adalberonis III.*
Nepotem, hunc quidem ex *Hadmoude*, seu *Hedwige*, qui
matrimonium nunquam iniit, sed Abbatiam S. Galli & Patri-
archatum aquileiensem obtinuit, alterum ex *Azzica*. V. n. 35.

Num. XXXIII. HADMOUDA II.

Vxor prima *Maruardi III. Ducis Carinth.*

Chronographus quispiam ebersbergensis recentior apud RADERVM Bav. sanctæ Tom. II. p. 179. nescit, cui comitum iuncta *Hadmoudis* connubio ex eo conceptum filium in hanc lucis auram enixa est *Vdalricum*.“

Hhh

Igno-

Ignorarunt illam quoque Carinthiæ scriptores ad unum omnes, solam *Luitpirgen Marquardo* III. uxorem tribuentes. Ut autem ex collectis undique monumentis antehac reconditis nova lux quotidie oritur; ita & ex ipsis Chartis prima *Marquardi* huius coniux *Hadmouda* II. innotescit. Istius enim *Marquardi* filius certissime fuit *Vdalricus* Patriarcha tab. II. n. 11. & 15. Quoniam vero & matrem illius novimus *Hadwigam* seu *Hadmodam* II. Semtanam; sequitur, eam *Marquardo* III. nuptam fuisse. Nesciebatur olim *Popponis* Comitis Wimmariensis uxor, quæ ei peperit *Vdalricum* Marchionem. At modo sciimus *Azzicam*, *Wexelini* & *Willbirgis* Semtanæ filiam (n. 24.).

Num. XXXIV. AZZICA. Num. XXXV. Vxor POPPONIS
Comitis Wimmariensis.

Huius parentes indicavi supra n. 24.) Coniugium illius cum *Poppone* comprobatum legitur n. 7. ad tab. V.

Num. XXXVI. ALTMANNVS
Abbas in Ebersberg.

De genere & dignitate eius abbatiali hæc tradit Chron.
brev. ebersberg. pag. 13:

„Anno dom. Incarn. DCCCCXC. *Reginbold* Augustensis Abbas adunatis monachis præficitur, cui quidam miles *Eberhardus* suum filium *Altmannum* vocabulo monastice educandum dedit, quem genuit de *Ruotrade*, quæ fuit *Oudalrici* filia ex concubina. *Reginboldus* vero cum XI. annis Ebersbergensi Ecclesiæ præfuisset, ab Henrico Rege II. Francorum ad Lorsam abbatiam regendam sustollitur, & *Altmannus* ab eo Monachis
Ebers-

Ebersbergensibus præficitur, aliquantis per Oudalrico renuente propter florem iuventutis; annorum scilicet XX. erat, sed incredibili ingenii astutia morumque maturitate pollebat. - Consentit etiam Chronicon prolixius pag. 9. a.:

Posset ex ista relatione colligi ætas *Altmanni*, annusque natalis, nisi errorem heic cubare observasset R. R. D. Abbas Gottwicensis in notis ad Codicem diplomaticum laurisheimensem pag. 162. Nota b.) Edita tegernseens, Ostendit enim Popponem, *Reginbaldi* in Abbatia laurisheimensi antecessorem, ante ann. MXIX. non obiisse, adeoque nec *Reginbaldum* illi, nec *Altmannum* huic Ebersbergæ succedere potuisse. Accedit, quod anno 1001 *Reginbaldi* undecimo, Henricus nondum Imperator exsisterit, nec Laurisheimensibus Abbatem præficere potuerit, anno sequente demum electus.

His ita comparatis, cum *Altmannus* 20 annorum adolescens anno 1019 abbaciam regendam suscepit; sequitur, anno 999 natum, & anno 1048 dehinc, ætatem suam ad annos 49. protraxisse.

Num. XXXVII. VDALRICVS ABBAS S. GALLI.

Num. XXXVIII. HERMANNVS EPISCOPVS PATAV.

Vtrumque comprobatum dedi tab. II. num. 15. & 16.

Num. XXXIX. VDALRICVS MARCHIO CARINTH.

Num. XXXX. Vxor SOPHIA, GEYSÆ II. REGIS Hung. filia.

De his copiose agitur ad tabulam V. n. 8. & 9.).

Probationes ad Tabulam II.

Num. I. MARQUARDVS I.

Quod RADERVS *Bavar. sanctæ Tom. II. pag. 173.* & PESLERVS *in Serie Ducum Carinth. §. 10. pag. 38.* recte divinando scripserunt, Marquardi III. Carinthiæ Ducis proavum, & Richardis *Vdalrico ebersbergensi Comiti nuptæ Parentem,* pariter Marquardi nomine insignitum fuisse, id iam confidentius adserere ausim. Opportuno enim tempore & loco anno 970 in Carinthia occurrit *Marquardus Marchio,* utique non alias a nostro; quod discimus ex fragmento Diplomatis *Ottonis M. Imp.* quod ex Archivo salisburgensi transcripsit *Autor der unpartheyischen Abhandlung von dem Staate des hohen Erzstiftes Salzburg. pag. 175:*

„Quædam Iuris sui prædia in comitatu Marchwardi Marchionis in plaga orientali (h. e. Carinthia vetere) dat. Non. Mart. ann. 970. Indict. XIII. actum Papia civitate infra Palatum.“

Vellet forte quispiam *Marquardum istum pro secundo accipere;* cum non repugnet, hoc anno illum vixisse.

Evidem largior, id non repugnare. Quia tamen LAZIUS *de migrat. gent. lib. VII. pag. 404.* MEGISERVS *in Annal. Carinthiæ Erasmo FROELICHO celebratis, lib. VII. cap. 30. pag. 936.* SCHOENLEBEN *in Carniola antiqua & nova P. III. p. 515.* Albertus REICHARDVS *in Breviario historiæ Carinth. ad ann. 969 pag. 106.* affirmant, Richarden Marquardi secundi sororem, & *Vdalrici Ebersberg.* coniugem, filiam fuisse Senioris Marquardi, & credibile est LAZIUM atque MEGISERVVM antiquas tabulas inspexisse, nobis iam non pervias; ideo probabilius existimo,

stimo, Marquardum ann. 970 pro secundi genitore habendum, eumdemque esse, qui in complacitatione Gotaberti Chorpiscopi cum Odalberto Archiepiscopo salisb. ann. 927 inter testes occurrit. Vide 1. ad tab. IV.

Plura de hoc Marquardo I. eiusque, quam haut dubie habuit, uxore hactenus non constant.

Num. II. MARQUARDVS II. MARCHIO CARINTHIÆ.

Nobilissimum genere fuisse, ex testimoniiis num. 13. ad tab. I. adductis patet, ubi Marchio & Praeses Carinthiæ audit.

AVENTINVS, qui, quæ de Ebersbergensibus Comitibus memorat, ex fastis & diplomatis accepta, ex fide se referre testatur, de Marquardo ista habet *Annal. Boior. lib. V. cap. 7. n. 34*:

„Vlricus comes de Ebersberg uxorem duxit Richardam, sororem Marquardi Carini, cui Hadmudam sororem vicissim nuptum dedit.“

LAZIVS num. præc. allegatus, dum Richarden prædictam Marquardi Ducis Carinthiæ filiam adpellat, Marquardum III. Adalperonis filium cum proavo Marquardo I. qui nunquam Dux fuerat, incaute confundit, atque in eundem errorem Schœnlebenium n. præc. citatum adducit, ut paria scriberet:

„Eodem anno (969) Carinthia, cuius pars erat adhuc Carniola, illustre ornamentum transmisit in Bavariam beatam Richardam, Marquardi Carinthiæ Marchionis, qui postea ad
Ducatum

Ducatum assumptus, filiam Vdalrico ebersbergensi comiti nuptam. "

Rectius utroque AVENTINVS, qui Marwardum istum a-sb que *Ducis* elogio *Carinum* tantum adpellat.

Iam isti scriptiunculæ finem imposueram; cum ecce obtineo illustrissimi D. CORONINI Comitis de Cronberg Tentamen genealogico & chronologicum promovendæ Seriei Comitum & rerum Goritiæ, iam ab altero anno undique conquisitum, ubi pag. 175. Edit. secundæ ex Patris Bauzeri S. I. Historia Msptia rerum Noricarum & Foroiuliensium. lib. V. N. 45, sequentia referuntur:

" Otto III. Imp. Marwardum Goritiæ Comitem, & Aquileiensis Vrbis Præsidem novo edito diplomate stabilivit in feudis, & ditionibus imperialibus. " Hæc ad ann. 1000. quæ MARVARDO congruere videntur.

Hactenus quidem ignorabam, Murzthalenses comites dictos etiam fuisse de Gorizia, cuius villæ medietatem possebat VERIENTVS seu WERIGANDVS, Willpurgis Maritus prior (N. 23. ad tab. I.).

Num. III. HADEMVDA SEMTANA MARQVARDII VXOR.

Illis, quæ ad tabulam I. n. 15. notata fuerunt, seqnentia nunc addere lubet.

Chron. ebersberg, brevius pag. 13. a.) ;

„ Post

„Post hæc (Vdalricus) duxit uxorem Richardem sororem Marquardi Praesidis de Carinthia, cui ipse suam vocabulo *Hademudem* in coniugium dedit, quæ pro obitu Mariti cuncta sua prædii (*pro Dei*) nomine detelinquens in Palæstinæ partibus mortua pluribus signis declaratur.“

RADERVS Bavar. sanctæ Tom. II. p. 183:

„Hademuda, Vdalrici soror, Adalberonis I. filia, nupta fuit Marquardo Carinthiæ Regulo, Marquardi I. filio, qui in primo ætatis flore raptus Hadmudam destituit.“

Vnde autem constat, tam cito raptum fuisse MARQVAR-DVM II. qui tamen quatuor, quos novimus, filiorum Pater exstítit? Longævum haut fuisse, lubens crediderim, quia præter dicta num. præced. nulla de eo occurrit memoria, & *Adalbero* filius iam ann. 1000. Marchio exstítit.

Num. IV. RICHARDIS SOROR MARQVARDI II.

Aëtum de ea fuit N. 13. ad Tab. I. Quæ mortem illius antecessere, lubet dare verbis Chronicæ ebersberg. brevioris pag. 14:

„Cum sequenti tempore (Vdalricus comes) Intinchove moraretur, coniux eius *Richart* Deo devota quadam die petiit eum, ut secum ebersbergense castrum pro sibi necessaria causa visitaret. Quam cautam dum ille requireret, dixit ei, actu potius quam verbis illam se intimaturam: cuius petitioni cum annuens castrum adiret, alia die fortuito accidit, eam solam sedere in Ceta (fors *cella*) qua pedissequæ solitæ fuerant

fuerant operari. Vbi pulcherrima Virgo niveis induit fulgoroso vultu apparuit ei dicens : O Richari ! Domina carissima, quomodo te sedere solam contigit, quod antea nunquam vidi-
mus; hoc tuam disciplinam , hoc tuam reverentiam non de-
ceret. Ego autem ut tui custos sim , veni. Quo dicto dispa-
ruit. Quam visionem uni presbytero duabusque pedissequis si-
bi familiaribus dixit , & quod discessum suum portenderet, in-
timavit. Quæ statim infirmata ac die obiit IX. Kal. Mart. &
in eodem castro sepulta est ann. dom. incarn. MXIII. “

Num. V. ADALBERO I. MARCHIO ET DVX CARINTH.

Defuncto circa ann. 1000. Marquardo II. parente , eodem
anno succedit *Adalbero I.* haud dubie primogenitus , quoniam
eodem anno iam Marchio adpellatur in diplomate Ottonis
III. apud Erasmus FROELICHUM *Archontolog. Carinth. P. II.*
pag. 199 :

„ Otto III. -- notum esse volumus , qualiter nos interventu
Henrici Ducis nostrique consanguinei dilecti , & Vdalrici nostri
amabilis Capellani , *Adalberoni Marchioni* centum Mansos do-
navimus in provincia Karinthia , ac in Marchia comitatunque
memorati Marchionis fitos , ubicunque locorum terris eidem
Adalberoni placuerit assumendos -- An. dom. incarn. millesimo
Indict. XIII. anno tertii Ottonis Regis XVI. imperii IV.
acta Quitenburg.

Anno 1007 occurrit idem in diplomate Henrici Sancti
apud MEICHELBECK H. F. Tom. I. P. I. pag. 206.

“ Quædam

,, Quædam iuris nostri prædia in provincia Carinthia & in comitatu Alberonis sita - - donantes proprietavimus.

Anno 1012. Ducatum Carinthiæ accepit, teste HERMANNO Contracto ad hunc annum :

,, An. MXII. Conradus Dux Carentani, filius Ottonis Ducis (vid. tab. III.) frater Brunonis dudum Papæ (Gregorii V. ann. 996. electi) obiit, & privato filio eius puerō Conrado, Adalbero ducatum accepit. “

MVRATORIVS in antiquitatibus Estensibus cap. XI. latam Veronæ ann. 1013. sententiam profert, in qua primas partes agit Adalperio Dux istius Marchiæ (Veronensis).

Idem Antiquit. Ital. med. ævi Tom. I. pag. 169. exhibit placitum in Agro Tarvisino habitum :

,, Anno MXVII. dum in iudicio resideret Dominus Adalbeyro Dux istius Marchiæ Carentanorum - - anno dom. Henrici gracia Dei Imp. Aug. tertio XV. Kal. Febr. Indict. XV. “

Ad ann. 1019. hæc notat HERMANNVS Contractus :

,, Cuonradus, filius Cuonradi quondam Ducis Carentinorum, auxiliante patruele suo Conrado, postea Imperatore, Adalberonem tunc Ducem Carentani apud Vlmam pugna vietum fugavit. “

Qualiter anno 1027 controversia ADALBERONIS Ducis cum POPPONE Patriarcha Aquileieni composita fuerit, dictum est supra num. 24, ad tabulam I.

Ad eundem annum Adalberonis exau^torationem refert
WIPPO in vita Conradi Salici apud PISTORIUM *Scriptor. ver.
germ. Tom. III. pag. 474. Edit. Struvianæ:*

„Imperator vero descendens per Rhenum in Franciam
venit, ibique Dux Chuono patruelis eius, prius rebellis, se
reddidit. Quem Imperator in liberis custodiis aliquantulum
castigavit, destructisque munitionibus suis, quas optimas ha-
buit, in gratiam illum recepit, totumque honorem suum sibi
restituit. Paullo post (an. 1035.) ADALPERO Dux Histriano-
rum sive Carintanorum, reus Maiestatis, vicitus ab Imperatore
cum filiis suis exulatus est, & ducatum eius iste Chuono ab Im-
peratore suscepit, quem ducatum pater eiusdem Chuononis
dudum habuisse prohibetur.“

At vero istud anno demum 1035 accidisse narrat Herman-
nus Contractus :

„An. MXXXV. Adalbero Dux Carentani & Histriæ amis-
sa Imperatoris gratia, ducatu quoque privatus est. “ Et

„An. MXXXVI. Conradus patruelis Imperatoris, patris
sui ducatum in Carentano & in Histria, quem Adalbero ha-
buerat, ab Imperatore suscepit.“

Caussam exau^torationis insinuat Annalista Saxo ad an.
1036 :

„Imperator purificationem sanctæ Mariæ Augustæ per-
egit, ubi & publicum conventum habuit, in quo Conrado pa-
trueli suo ducatum Carentinorum commisit, a quo superiori
anno Adalberonem Maiestatis reum dimoverat. Hisdem die-
bus Adalbero Wilhelμum Comitem interfecit, & postea in
castrum

castrum Eresberch (*Ebersberch*) latendi causa confugit.“ Hæc fere repetit Annalista Hildesheimensis ad eundem an. apud LEIBNITIUM *Scriptor. rerum brunsvicens. Tom. I. pag. 728:*

Igitur ad consanguineos suos confugit, matre *Hademuda* Semtana natus, ubi & an. 1039 obiit, teste HERMANNO Contracto:

„An. MXXXVIII. Chunradus Dux Carentani & *Adalbero* æmulus eius, qui ante eum ducatum eundem habuerat ipso anno obiit.“

Geisenfeldæ sepultum fuisse testatur Codex traditionum eiusdem cœnobii, ubi inter alia legitur:

„Noverint fideles Ecclesiæ filii, quod nobilissimi Ducis *Adalberonis* filii, *Marchwart* & *Adalbero*, intericta temporis Babenbergenis Ecclesiæ factus Episcopus, ad altare sancte Marie, sanctique Zenonis in loco Geisenvelt construēto tradiderunt pedium Bernchoven dictum cum filvis & pratis & vineis III. cum omnibus ad hec pertinentibus, pro anima patris sui præfati Ducis ADALBERONIS in eodem monasterio sepulti, in manus HEBERHARDI comitis, eiusdem Geisenveldensis Ecclesie constructoris. Adhibiti vero sunt testes *Eberhardus* & *Erne-*
flus fratres eiusdem Ducis.“

Num. VI. BRIGIDA ADALBERONIS VXOR.

Hermannus II. Alemanniæ Ducis filiam, & Adalberoni nuptam fuisse, cui *Brigidæ* nomen Erasmus FROELICHUS imposuit, ad tab. VI. comprobatur.

Erasmus FROELICHIUS in *Archontologia Carinthiæ P. I.* p. 27. provocat ad Apographum Tabularii San-Lambertini cœnobii intra annos 1060 & 1073 exaratum, in quo *Marquardus Adalberonis filius*, sine *Ducis* titulo, & *Vxor eius Liutpirch* decimas & alia in manus Gebhardi Archiepiscopi salisburg. tradunt.

Ad an. 1060 refertur fundatio Monasterii *Rosacenſis*, quam Autores in supra n. 2. citato tentamine Comitis CORONINI Murzthalensibus Comitibus, *Marquardo*, & filio *Vdalrico*, de *Goritia* dictis, attribuunt. pag. 49. seq. & 179.

Porro ad an. 1070 apud eundem Comitem ex Repertorio austriaco *Parte II.* p. 88. memorantur duæ tabulæ, quibus isthoc anno Domini ac Dominæ *Goritienses* (h. e.) Murzthalenses Comites Monasterio rosacenſi varia prædia donant, pag. 179.

Porro *Marquardum* nostrum iam anno 1073 ducatum Carinthiæ administrasse, aut ab Imperatore collatum, vel, ut hic simulabat, propria vi arreptum, scimus ex LAMBERTO Schafnaburgensi ad eundem annum apud PISTORIUM *Struvii* p. 358:

„Casu quoque nuper advenerat, nescio quid privatæ causæ acturus in palatio, *Bertholdus Dux quondam Carentinorum*. Huic Rex quam sanctis obtestationibus se purgabat, quod ducatum eius nulli alii tradidisset, sed *Marquardus* privata presumtione fines alienos invasisset, nec ei quicquam de iure suo imminutum esse, si suo iniussu, sine consultu Principum honores publicos homo ineptissimus temerasset. Ille licet hæc facta esse sciret &c.“

Advo-

Advocatiam quoque Ecclesiæ aquileiensis, ducatu tunc
innexam, Marquardum gessisse, constat ex conventione inter
Ellenhardum Episc. frisingensem & Sigehardum Patriarcham
aquileensem apud MEICHELBECK H. F. Tom. I. P. II. pag.
521. n. 1248:

„Notum sit, qualiter Ellenhardus Episcopus recognovit
omnem decimam de universis bonis, quæ ecclesia sua tunc
temporis habuit in comitatu Carniolæ, aquileensi ecclesiæ per
manum Advocati sui Ekkihardi ad altare S. Mariæ in manum
Sigehardi Patriarchæ suique Advocati Marwardi - - actum
in civitate Aquilegia XVII. Kal. Jul. an. dom. Incarn. MVII. III.
indict. XI. “ Vbi Editor legendum autumat MLXXIII.

Anno 1077 nostrum fuisse superstitem, eodem tamen an-
no post mensem Maium decepsisse, inde colligitur, quod filius
Liutoldus eodem anno iam *Dux* nominetur a BURCHARDO de
casibus S. Galli apud GOLDASTUM Senkenbergii Scriptor *rer.
aleman.* p. 70:

„Rex vero *Henricus*, mox ut *Ducem Rudolf de Rinsel-
den* suum regnum sibi usurpasse audivit, Pasca Veronæ mora-
tus per Carintiam, domino *Marquardo* & filio suo *Liutoldo*
Duce ducatum præbentibus ad theutonicas partes rediit, Ru-
dolfum Regem in castro Sigmaringen obsefsum turpiter fuga-
vit. Eodem anno quemdam iuvenem sibi cognatum domini
Marwardi Carnotensis filium (*Vdalricum*) in Abbatem hic
promovit. “

Cognitionis istius ratio ex tabula VI. elucescit.

Eundem

Eundem etiam annum emortualem assignat MEGISERUS
lib. VII. cap. 32. pag. 741.

Num. XI. HADMOUDIS II. EBERSBERGENSIS,
Marwardi III. coniux prima.

Quoniam certo constat, Hademouden istam matrem existisse Vdalrici Abbatis primum S. Galli, dehinc Patriarchæ aquileiensis, ex Marwardo III. geniti (num. præced.) hinc recte mihi conclusisse videor, illam in huius thorum transisse. N.
32. & 33. ad Tab. I.

Apud citatum CORONINUM Monasterii rosacensis fundator nunc audit *Marwardus III. Comes in Muerzthal & Goritiæ* pag. 179. nunc eiusdem filius *Vdalricus Patriarcha aquileiensis* pag. 49. Demum eadem fundatio a nonnullis adtribuitur *Diomundæ Comitissæ Goritiæ* pag. 179. cuius cineres in conditorum marmoreum ab Abbe IV. *Gaudentio* constructum an. 1120 translatos fuisse, idem testatur Comes CORONINUS pag. 183. eamque huius monasterii fautricem appellat. Hanc ego *Diomundam*, diversam non arbitror a nostra *Hadmuda*, *Vdalrici Patriarchæ aquileiensis* matre indubia & *Marwardi III. uxore*; quum utrumque nomen parum inter se differat, & alia matrona, his temporum, locorum, & personarum circumstantiis magis adcommoda, vix explorari valeat.

Num. XII. LIUTPIRGIS MARWARDI III.
uxor secunda.

Hanc nobis indubiam reddit eius *filius Henricus Carinthiæ* Dux in Charta donationis monasterio S. Lamberti factæ, quam post

post Bernardum PEZIVM in codice diplomatico epistolari P. I.
col. 283. sicut Erasmus FROELICH Diplomatæ. *sacra Styriæ* P. II.
pag. 271.

„Omnibus innotescat, quod Carinthiæ Dux *Henricus* pro
animæ suæ remedio & dilectæ coniugis suæ *Liutkardæ*, & pro
anima Patris sui & Matris suæ *Marchwardi* & *Liutpirgæ* fra-
trumque suorum - tradidit. . . Scripta est notitia ann. incarn.
dom. millesimo CIII. Indict. X. VII. Idus Ian. “

Hæc eadem traditio Moguntiæ anno 1104. ab Henrico IV.
Imperatore confirmata fuit loc. cit. pag. 274:

„Prædictam igitur Abbatiam Pater meus *Marquardus* pro
remedio animæ suæ, nec non & dilectæ coniugis matris meæ
videlicet *Liutpurga*. “

Illustrissimam Matronæ huius prosapiam indicat LAZIVS de
Migrat. gent. lib. VI. pag. 200. filiam *Henrici* IV. Imperatoris,
& quinti sororem, ex *Bertha Othonis* Italiae Marchionis filia
natam asserens, cui etiam suffragatur PFEFFINGERVS in VITRI-
ARIO illustrato Tom. I. p. 532. provocans ad MATHIAE *The-
atrum historicum* pag. 902. Porro autores istos nihil ex inge-
nio finxisse, inde mihi verosimillimum redditur, quod *Henri-
cus* quintus Imperator *Henricum* Carinthiæ Duceum, *Marquar-
do* III. ex *Luitpirga* genitum, dilectissimum suum Nepotem
adpellet, quippe sororis suæ filium. Vide infra N. 18.) &
tab. VI.

Num. XIII. ADALBERO II.

Episcopus Babenberensis, Marquardi III. germanus.

In Traditionibus geisenfeldensibus supra n. 5. ad fin. & n. 10. ad hanc tabulam allegatis, Adalbero iste, *illustris prosapiæ Clericus*, & germanus eius *Marchwart Ducis Adalberonis filii* nuncupantur, & *idem Adalpero interieclu temporis babenberensis ecclesiae factus Episcopus* memoratur, ad quam cathedralm anno 1054 ab *Henrico III. Imperatore* promotus fuit, ut testatur HERMANNVS Contractus,

„ Anno 1054 Imperator Bambergensis Ecclesiæ præfultum consobrino suo Adalberoni donavit. “ Apud PISTORIVM Tom. I. BERTHOLDVS quoque Constantiensis ad eundem annum apud VRSTISIVM Tom. I. pag. 340:

„ Imperator Adalberonem consobrinum suum in villa Oettingen, ubi nativitatem Domini egit, Bambergensi Ecclesiæ præfecit. “

LAMBERTVS item Schafnaburg. ad eundem annum :

„ Hezecken (Hezelinus) Babenberensis Episcopus obiit, cui Adalbero succedit. “

Tribus annis illum sedi isti præfuisse, & ann. 1057 obiisse testatur Annalista Hildesimensis apud LEIBNITIVM rerum brunsvic. script. Tom. I. pag. 731:

„ Item obierunt Adalbero Babenberensis Episcopus & Otto Dux Suinfurti. “

Diem

Diem notat Necrologium Hildesimense apud eundem LEIBNITIVM loc. cit. pag. 763:

„ XVI. Kal. Martij Albero IV. Babenberensis Episcopus.“
Cui consonat Necrologium metropolitani capituli salisburicensis anecdootum.

Facile est ex his geminum errorem corrigerre, quem erravit autor nescio quis Catalogi Episcoporum bambergensium sub titulo: *Gloria imperialis Ecclesiae Bambergensis* cum iconismis in folio editi, ubi Episcopum quartum adpellat *Albertum I. comitem de Bogen*, scutum gentilitium Rhombis cæruleo-albis depictum, quo hodie utitur monasterium Windbergense, ab *Alberto I. comite de Bogen* fundatum, eidem assingit, eumque anno 1060 decepsisse afferit.

Constat enimvero ex *Codice probationum diplomatico Archivi bambergensis* anno 1774 cum auctoritate vulgato Num. 25. *Guntherum Adalberonis*, non Bogenensis, sed Murzthalensis comitis, successorem iam anno 1058. sedi illi præfuisse.

In eundem errorem quoad annum obitus 1060 incidit autor opusculorum sub titulo *Histoire ecclæstique d' Allemagne Tom. I. pag. 197.* ubi ait:

„IV. Adalberon Duc de Carinthie, Neveu de l' Empereur Conrad II. mourut l' ann. 1060.“

Nepos Imperatoris dici omnino potuit, quia natus ex *Brigida*; sorore *Giselæ*, uxore *Couradi Salici* & matre *Henrici III.* Imp., ut patet ex tabula VI. n. 5. & 7.

Num. XIV. RICHWARA, seu RICHARDIS,
Adalberonis I. Filia.

PISTORIUS Tom. II. Scriptor. Germ. p. m. 742. in tabula genealogica comitum Zaringensium Bertholdo I. Vxorem tribuit *Richwaram* Carinthiacam, cui etiam apud PFEFFINGERVM Tom. II. pag. 333. (43.) genealogi piures adstipulantur, dicentes, eam fuisse filiam *Adalberonis* Carinthiae Ducis, in eo solum decepti, quod istam *Richwaram* seu *Richardam*, matrem huius *Bertholdi* faciant, cuius uxor fuerat; nisi forte *Bertholdum* II. filium cum genitore *Bertholdo* confuderint. Huius enim Vxorem *Richwaram* extra dubium ponit notitia donationis insignis monasterii S. Petri ex silva nigra factæ a *Bertholdo* & *Conrado*, *Bertholdi* II. Ducis Zaringæ filiis, *Bertholdi* I. Nepotibus apud SCHOEFLINVM in Historia Zaringo-Badenſi Tom. V. Cod. diplomat. N. XXII. pag. 43.

„Omnibus -- notum esse cupimus, qualiter Dominus *Bertholdus* & frater eius *Conradus*, filii bone memorie *Bertholdi* Ducis cœnobii huius fundatoris. —

Præterea in omnibus allodiis in Burgundia seu Brisgaugia, aut in Nekergaugia, vel ubique locorum sitis, que Parentes sui, glorioſus scilicet Dux *Bertholdus* II. cum uxore sua domina *Agnete*, illorumque Patre, id est Katholicæ virtutis sectator eximius *Rudolfus* Rex & honorabilis Dux *Bertholdus* I. cum Thori sui conſorte domina *Richwara* tradiderunt Ecelesie -- Ann. MCXII. VI. Kal. Ianuar. Indict. V. Feria IV. “

Etsi vero idem SCHOEFLINVS Tom. I. §. XIV. pag. 58. istam *Richwaram* ut primam *Bertholdi* uxorem recognoscat, nihilominus

minus PISTORIVM fugillat, quod eam sine idoneo teste Carinthiæ marchionissam adpellet.

At vero mitius de eodem iudicium fert celeberrimus SCHEIDIVS in præfat. *ad Tom. II. Origin. Dom. Guelf.* pag. 23. quod propriis eiusdem verbis heic transcribere non piget:

„Iani vero Iacobus *Manlius*, vir in historia patria non insimi nominis, qui Chronicon Episcopatus Constantiensis consarcinavit, a Pistorio loc. cit. editum, conservavit nobis tabulam genealogicam Maiorum S. Conradi Episcopi. . . . Multas procul dubio chartas, multaque alia monumenta *Manlius* scriptor sub Maximiliano I. celebris vidit hodie vel deperdita plane, vel si exstant, sive ob ignorantiam, sive ob invidiam possessorum tineis & blatis potius, quam usui publico conceffa. Quod si igitur de reliquis Episcoporum familiis in *Manlii* opere obviis credimus, conscriptas eas esse ex monumentis, ut haberi ex litteris potuerunt non prorsus contemnendis; cur solam Conradinam Genealogiam - pro fictitia & erronea habeamus?“

Quum igitur *Richwaræ* nomen *Manlio* perspectum fuerit, cur originis quoque eiusdem notitiam ei adfuisse dubitemus?

Altera *Bertholdi* I. Zaringensis uxor *Mathildis* hoc non pertinet.

Num. XV. VDALRICVS, MARQVARDI III. FILIVS.

Nolim heic repetere, quæ de isto VDALRICO *Hadamoudæ* Ebersbergensis filio N. 32. & 33. ad Tabulam I. adnotavi. Neque etiam certo definire ausim, ad istum, an ad alterum *Vdalricum*, *Carinthiæ Marchionem*, utrumque *Adalberonis* ex
Willbir-

Willbirga sorore nepotem, referenda sit Traditio in Codice ebersbergensi Oefelii pag. 27. N. 62.

„Oudalricus Comes (alter semper appellatur *Marchio*) Nepos *Adalberonis* sancto *Sebastiano* dedit dimidium Mansum in *Vcingin* situm & oppidum quoddam cum adiacenti silvula pro Missalibus rebus nostræ Basilicæ, quas perdiderunt servi eiusdem *Oudalrici*. Istam donationem fecit per manus *Ezzonis* de Ietinstetin.“

Opinor tamen, *res Missales* Basilicæ ebersbergensis propius spectare istum *Vdalricum*, iam tunc ad statum monastico-clericalem adspirantem.

Certiora de eo discimus ex BVRCHARDO de Casibus monasterii S. Galli apud GOLDASTVM cit. pag. 71:

„Eodem anno (1076 vel 1077) quemdam Iuvenem sui cognatum, Domini *Marquardi* Carnotensis filium in abbatem hic promovit (Henricus IV. Imperator). Ille, *Vdalricus* nomine, tandem post aliquot annorum curricula etiam Aquileiensis Patriarcha efficitur.“

IDEAM pag. 73. Inter hæc ex insperato Abbas noster *Vodalricus* laborum suorum alleviationem cœpit accipere. Nam Patriarcha Aquileiensis, genere Sclavus a suis aliisque profanis occisus est, cui *Vodalricus* Abbas huius loci successit. Faétum est autem hoc anno MLXXXVI. transacto decimo Abbatiae suæ anno.

Propinquitatem illius cum Henrico IV. Imperatore prodit ipsius diploma datum Papiæ IV. Id. Maii apud VGHELLVM.

Italiæ

Italiæ sacræ Tom. V. col. 59. & apud LVRIG in Codice Italiæ diplomatico Tom. V. col. 1534.

„ Nunc igitur recognoscimus iustitiam . . . pro dilectione & fideli servitio *Vdalrici* patriarchæ fidelis nostri & dilectissimi *confanguinei*. “ Ipsum vero cognationis gradum exhibit *Tabela VI*.

In utroque Abbatis, & Patriarchæ munere multa tulit, sequitur, uti legere est apud eundem *Eckardum*, & *Bernardum DE RVBEIS* in *Monumentis aquileiens.* cap. 59.

De obitu eius prior hunc in modum prosequitur pag. 74:

„ Cum autem hanc Ecclesiam (*S. Galli*) & illam (*Aquileiensem*) per XLVI. annos & tres menses rexisset, plenus dierum viam universæ carnis & ipse ingreditur. “

Qui anni totius regiminis si adduntur ad annum 1076 quo abbatiam adiit, consequitur, eum anno 1122 aut certe 1121 finiente defunctum fuille.

Mense enim Maio XII. Kal. Junii anni 1122 patriarchalem sedem iam tenuisse *Gerardum Vdalrici* immediatum successorem, demonstrat Bern. *de RVBEIS loc. cit.* pag. 557. seq. ex copia instrumenti authentici in archivo Capituli foroiuliensis asservati :

„ Quapropter nos Gerardus Patriarcha D. g. Aquileiensis -- Actum est in eadem Ecclesia ann. Dom. incarn. MCXXII. Indict. XV. duodecimo Kal. Iun. regnante Henrico V. Augusto Imp. feliciter. “

Totis.

Totidem Regiminis annos, videlicet 46. cum mensibus tribus Vdalrico pariter assignant CONRADVS de *Faburia* in Catalogo Abbatum S. Galli apud eundem GOLDASTVM Tom. I. pag. 91:

„Vdalricus Patriarcha ann. XLVI. & mensi III.“ Et Ioachimus VADIANVS in chronologia abbatum S. Galli loc. cit. pag. 93:

„MLXXVI. Ulricus III. Patriarcha aquileiensis anno XLVI. & mensi III. III. Non. April. Alii scribunt Idibus Decembris.“

Ephemerides monasterii S. Galli loc. cit. pag. 100:

„Idus Decemb. Wolrici Patriarchæ.“

Inde recte infert laudatus *Bern. de RUBEIS*, illum aut III. Non. April anno 1122 aut Idibus Decembris anno 1121 obiisse.

Num. XVI. HERMANNVS,
Episcopus Pataviensis.

Jungo Patriarchæ Episcopum, fratri fratrem, et si nesciam, germanus fuerit, an consanguineus, certe tamen *Marquardi III.* filius, ex alterutra coniuge natus. De hoc sequentia tradit Autor vitae B. *Altmanni* Ep. Patav. apud Hieronymum PEZIVM *Scriptor Austr.* Tom. I. col. 122. n. 15.

„O facinus! Ecclesiæ electi Pastores de sedibus suis perturbantur, Lupi rapaces subrogantur, quorum factione Præsul Altmannus sede sua privatur, Hermannus frater Dux Liutoldi pontificali Insula sublimatur. . . . Hermannus autem vixit per bien-

biennium & sic iudicio Dei vitam cum Insula amisit, qui tamen dicitur in extremis pœnituisse, & induvias suas Altmano Episcopo pro absolutione anathematis misisse. “

Biographus alter loc. cit. col. 148. n. 10:

„ Horum (Schismaticorum) etiam factione Præful Altmanus a grege suo fugatur, & *Hermannus* quidam frater *Ducis Liutoldi* substituitur. . . Vix biennio oves alienas totondit & mulxit, & Pastoris nomen, quod falso gerebat, cum vita finivit. Dicitur tamen in extremis pœnituisse, & episcopalia quæque Altmanno reddidisse, & absolutionem anathematis ab eo suppliciter requiisse. “

In Catalogis Epilcoporum Pataviensium ab eodem PEZIO vulgatis nomen istius Hermanni desideratur. Solus ille apud Raymundum DVELLIVM *Miscell.* lib. II. pag. 301. eius meminit in hæc verba:

„ Hermannus Dux Carionum autore Henrico IV. exule Altmanno, invasit sedem Pataviensem, & intra biennium divina vindicta vitam cum mitra amisit. Fertur in extenuis pœnitentia ductum impii facti veniam ab Altmano demum pœnisse atque impetrasse. Obiit anno 1000. “

At vero obitus eius rectius refertur ad ann. 1087. quem etiam notat BERTHOLDVS Constant. in appendice ad HERMANVM Contractum VRSTISII Tom. I. pag. 360:

„ Ann. MLXXXVII. quidam Schismaticus, qui patavensem Episcopatum vivente adhuc legitimo Pastore iam dudum (hoc est ante biennium) invasit de hac vita discedens. . . “

Igitur anno 1085 eundem occupavit. In hanc Chronotaxin consentit quoque HANSIZIVS Germ. sacræ Tom. I. pag. 275. seq. num. 32. & 34.

Num. XVII. LIVTOLDVS CARINTHIAE DVX.

Iustum quoque Marquardi III. fuisse filium, ex ECKEHARDO supra n. 10. ad hanc tabulam in fine allegato, idque præterea constat, iam anno 1077 Ducis titulo fuisse ornatum, Patre adhuc vivente, tanquam proxime eidem, anno hoc demortuo, successorum. Et re ipsa hoc anno solus Liutoldus, absque Patris mentione, *Dux* occurrit in diplomate, quo Henricus IV. Imperator Patriarchæ aquileiensi confert comitatum Foroiulii. *Vide N. 8. ad tabulam IV.*

Item in alio eiusdem diplomate de eodem anno apud Bern. de RVBEIS sæpe allegatum pag. 534. ubi Marchia Carniolæ Sigehardo Patriarchæ traditur:

„ Subveniente dilecta Bertha nostra Regina, nec non aliis nostris fidelibus ad hoc nitentibus . . . Episcopis . . . Ducibus quoque Writzlao Boemiæ & Liutolfo Carentice. “

Eandem donationem etiam refert *Anonymous Leobensis* ad ann. MLXX. apud Hieron. PEZIVM Scriptor Austr. Tom. I. col. 772.

„ Rex vero interveniente etiam Regina Marchiam Carniolæ præsente Duce Ludolfo Karinthiæ obtulit Sighardo Patriarchæ & Ecclesiæ Aquileiensi. “

Hade-

Hademudam, aut Liutpirgam Matrem salutaverit, veterum nemo, quod sciam, prodidit, uti neque nomen, neque genus uxorius, quam tamen habuisse, aliamque superinduxisse, testatur BERTHOLDVS Constant. ad ann. 1090:

„ Ex parte autem excommunicatorum *Lutoldus* Dux Carinthiorum inopinata morte præripitur, cum nuperrime contra ius & fas repudiata propria Vxore aliam superinduxerit, *Gerberto* quidem Hæresiarcha (Antipapa) hoc ei concedente. “

Consentiant in anno mortis *Annalista Saxo Eccardinus*, & *Hildesiensis Leibnitianus*.

Num. XVIII. HENRICVS,

Marchio Istriæ & Dux Carinthiæ.

Marquardi III. ex *Liutpirga* filius (N. 12.) *Vdalrici* & *Hermannii* frater, ut mox patebit, vivente tertio fratre *Liutoldo* (num. præc.) Marchiam Istriæ administravit, teste *BVRCHARDO de Casibus monasterii S. Galli* loc. cit. pag. 73.

Ob hoc etiam in eundem Abbatem *Vdalricum (S. Galli)* Marchio (Bertholdus de Zaringen) maxima invidia exarvit, quia suus frater *Liutoldus* aliqua sui iuris, ut sibi visum est, scilicet ducatum Carinthiæ concessione regia obtinuit, & alterius frater (*Henricus*) Marchiam Histriam sub eadem concessione possedit. “

Fratri suo *Liutoldo* anno 1090 in Ducatu Carentano eum successisse, probat *Erasmus FROELICHUS Archontol. Carinth. P. l. p. 32.* ex diplomate *Henrici IV.* Imperatoris dato Veronæ ann.

1096, ubi multa privilegia conferuntur Abbatiae S. Lamberti, quam *Henricus Dux Carinthiæ* a Patre suo *Marquardo* cœptam consummavit, & præsente Imperatore in tutelam Romani Principis Petro Apostolorum Principi tradidit.

Idem FROELICHIVS in *Diplomatar. sacr. Styriæ P. II.* pag. 274. ex tabulario S. Lamberti aliam chartam exhibet huius tenoris :

„Ego Heinricus Dux divina cooperante gratia Carinthiæ Dux per præsentia scripta ad communem successorum memoriam transmittere curavi, qualiter abbatiam S. Lamberti, quæ sita est in Episcopatu salisburgenſi in comitatu frisacensi ultra aquam theodosiam ex paterna hæreditate prædictam ordinavi. Prædictam igitur Abbatiam *Pater meus Marquardus* pro remedio animæ suæ, nec non & dilectæ coniugis *Matris meæ Liutpirgæ* - ædificare cœpit. - Ego *Henricus Dux filius eius* - confirmata est hæc traditio apud Magunciam in universali curia, præsentia, nutu, & auctoritate Henrici Imperatoris quarti Augusti - actum Moguntiæ in Christo feliciter. Scriptum XVI. Kal. Febr. Ind. VII. ann. incarn. Dom. MCIII, “ Vbi tamen FROELICHIVS legendum arbitratur MCXIV. ”

Idem *Henricus V.* inter Imperatores hoc nomine quartus Privilegia confirmat eiusdem Abbatiae, idque, ut ait, petitio ne *Henricis Ducis Karinthiæ* dilectissimi *Nepotis nostri*, vide licet filii ex sorore sua *Liutpirga*. (*Vid. N. 12. ad hanc tabulam*) data XVI. Kal. Febr. Indict. VII. ann. Dom. Incarn. MCXIV. regnante *Henrico IV.* Rege Romanorum anno VII. imperante II. actum est Moguntiæ in Christo feliciter Amen.“

Integ-

Integrum diplomatis huius apographum anecdotum, cum Autographo collatum, ex archivo celeberrimi huius monasterii benevole mihi communicatum ad calcem subiicere placuit.

Advocatiam Ecclesiae aquileiensis, quam gesserat, ante mortem sponte dimisit, eiusque rei monumentum lapidi incisum Aquileiae adhuc extare, testatur Bern. de RVBEIS loc. cit. pag. 556:

„ Notum sit omnibus fidelibus Christi qualiter ego *Henricus* Dux totum Placitum advocatiæ Canoniciæ huius Ecclesiae pro mea anima, & *Luicardæ Vxoris meæ* sanctæ Mariæ & fratribus his coram clericis & laicis collaudante & confirmante Domino *Vodalrico Patriarcha fratre meo* dederim, videlicet eo tenore, ut semper in festivitate omnium Sanctorum optimum servitium Canonicis hic in vita mea a Præposito eorum fideliter administretur & C. pauperes pascantur: post mortem vero meam in meo Anniversario totum istud prædictum adimplatur. “

Henrici Ducis obitum ad ann. 1127 consignat LAZIVS de migrat. gent. Lib. VI. pag. 210:

„ Liber vetus Annalium, ubi ita scribitur: *Henricus con-sobrinus Henrici IV. Cæsaris Marchio Carinthiæ obiit anno 1127.*“

Circa annum 1129 illum fuisse defunctum scribit Bern. de RVBEIS pag. 556. & quidem quarta Decemb. ex Necrologio aquileiensi:

„ II. Nonas Decembris Henricus Dux & Advocatus obiit,
qui placitum Advocatiæ fratribus dedit. Notum sit. . . “

At quomodo *Confessorius Henrici IV.* nisi quod horum
Aviæ *Gisela & Brigida*, sorores fuerint? Vide Tab. VI.

Num. XIX. LIVTKARDIS,
prima Henrici Vxor.

LAZIUS num. præc. citatus de Henrici Ducis coniugibus
scribit:

„ Fertur tres ordine duxisse Vxores, *Liutgarden*, *Bea-*
tricem, & *Sophiam*. “

Quoniam igitur prima & tertia certissimæ sunt; etiam de
secunda dubitare nolim.

Primam *Luitkarden*, Dux ipse prodit in charta donatio-
nis Lambertinæ (supra N. 12.) & in cessione Advocatiæ (N.
18, ad hanc tab.). Verum qua Patria? Vnde Domo?

In Monumentis boicis Vol. XII. inter Oberaltacensa pag.
25. legitur Traditio incerti anni, sed ante medium saeculi XII.
ponenda, ubi *Ductrix Luitgarden* soror *Alberti* comitis (de Bo-
gen) tradit ad Altare S. Petri quamdam mulierem.

Suspicatur Editor, hanc *Luitgarden* alibi incognitam,
quæ in gemino Codice membraneo eiusdem Monasterii *Due-*
trix & *soror Alberti I.* appellatur, Henrico nostro Carinthiæ
Duci nuptam fuisse.

Nolim

Nolim refragari, quoniam ætas utriusque coniugum, titulus *Ductricis*, ipsumque matrimonium Alberti fratris germani cum *Hadwige Carentana*, quam nonnulli comitem de *Cileia* appellant, huic conjecturæ subsidium ferunt non spernendum.

Equidem Comitum Cileicæ nomen ante saeculum XIV. inauditum erat, quam primus omnium *Ludovicus* Bavarus Imperator anno 1341 *Fridericum liberum de Sewenegk*, eiusque haeredes, titulo & privilegiis *Comitis de Cily* ornaverit diplomate dato Monachii die Lunæ post septimanam Paschæ, quod ex Tabulario græcensi *Ladula* 43. N. 4. a PVSCHIO descriptum fuisse testatur illius socius *FROELICHIVS* in *Specimine genealogiae sive neciorum comitum Celeicæ & comitum de Heunburg* pag. 54.

Eamdem tamen *Hadwigen Alberti I. com. de Bogen Vxo-*
rém Bona in Carinthia posse disse, adeoque inde ortam, & for-
*te de stemmate *Heunburgico*, postea *Cileiensi* dicto, prognatam*
*fuisse, facile auguror ex charta quadam *anecdota Victoriensis**
*(*Vißring*) monasterii in Carinthia ab amico communicata, ubi*
hæc leguntur:

„Comitissa *Hadwich*, Mater comitis *Bertholdi de Bogen* donavit per manus Dni Henrici *Bris* (nomen familiæ carinthiacæ) ad eundem locum novem hubas cum omnibus pertinentiis suis. Illustris etiam comitissa *Hadwich de Bogen* dedit ad predictum locum quinque mansus apud *Wippach*, cum omnibus ad se pertinentibus. Donatio autem hæc facta est apud *Luse*, & huic donationi interfuit *Dietricus prepositus eius*. *Vicilinus de Wippach*. *Weriandus de guernotia* & alii complures, quorum infinitus erat numerus. . . Huius rei testes sunt *dus Witigo de Lilienburg*, *Gerlohus senior de Stæin*, *dns Vulinus*

*linus (Wicilimus) de Wippach. dns Bernardus & fratres eius.
Girebertus de Gurerch. dns Gebhardus de Coeker & alii plures
tam nobiles quam ignobiles. Facta sunt anno ab Incarn. dom.
MCLVI. in Castro apud Heunburg. "*

Ab hoc castro *Heunburg*, seu *Hunenburg* nomen credo
hauiisse Comites ita adpellatos, & est vero admodum simile,
Hadwigam, *Alberti I.* uxorem post eius obitum, qui ad an.
1147 refertur, ad hoc castrum suum gentilitium divertisse.

HUNDIUS in *Stemmatographia de Comitibus Bogensibus agens*, istam *Hadwigen* Comitem de *Neuburg* adpellat, de-
ceptus forte similitudine nominis *Heunburg*. FALKENSTENIUS
autem in *Antiquitat. Nordgav. Tom. II.* pag. 281. filiam suis-
singit *Popponis Carinthiæ Ducis*, quo nomine nullus in hac
serie reperitur.

Eidem amico debeo excerptum alterius chartæ *anecdota* de
anno 1155, in qua *Romanus Episcopus Gurcensis* narrat, emis-
se se allodium *Dobern*, quod *Comitis Hartuici de Bogen* esse
videbatur, pro CXLV. marcis, qui venditor cum an. 1147 Hiero-
solymam profectus fuisset, frater eius *Bertholdus* impetiit,
sed pro traditis C. Marcis per Comitem *Rapotonem* reddidit.
Vbi sequentia notanda veniunt:

„Qui (*Hartuicus Hadwigis supra dictæ filius*) cum pro-
fектus esset in expeditionem Iherosolymitanam, que anno
MCXLVII. sub Rege Conrado facta est, frater eius *Berthol-
dus Comes* factum fratris validis assertionibus in irritum ducere,
atque ecclesiam adepta pōssessione nudare cupiens, affirmabat,
eadem bona legitima traditione *Amite sue*, ad quam indubi-
tanter

tanter ea pertinuissent, fidei cuiusdam nobilis *Kadoldi de Sunnenbrechtesdorf* delegata, singulariter sibi, excluso fratre reservanda ac donanda &c. "

Hæc Bertholdi *Amita*, alia esse nequit, quam nostra, de qua agitur, *Liutkardis Duxtrix*, soror *Alberti I. Com. de Bogen*, qui ex Hadwige memorata genuit *Hartuicum & Bertholdum* fratres, ex Monumentis oberaltacensibus, & utraque charta præmissa notos. Quod ut in oculos lectoris facilius incurrat, breve schema subiicio.

*Ascuinus.
Vxor Lutgardis.*

*Albertus I. Com.
de Bogen.*

*Vxor
Hadwigis de
Heunburg.*

*Hartuicus,
† post an.
1180.*

*Lutgardis
Vxor
I. Bracislai Duc. Bo-
hemiae.
II. Henrici Duci
Carinthiae.*

*Bertholdus,
† 1168.
Vxor
Lutgardis, filia
Popponis II. Marchionis
Carinthiae.
*Vid. tab. V.**

Conveniunt fere Scriptores Bohemi, eodem circiter tempore *Luitkardam* quamdam, seu *Lucretiam*, *Brecislao* Bohemiæ Duci nuptam fuisse, et si in eiusdem prosapia discrepent.

Anonymus in Chronico Bohem. apud MENKEN *Scriptor. rer. germ. Tom. III. pag. 1681.* & apud LUDEWIG *Reliq. manuscript, Tom. XL. p. 234:*

M m m m

„ Eo-

„Eodem anno (1094) præfatus Brzeceslaus filiam Alberti Comitis palatini Rheni *Lucardam* nomine duxit in uxorem mense Septembri.“

Repetit hæc eadem verba PULKAWA apud *Gelasium DOBNER Monument.* Tom. III, pag. 138. & addit :

„Ex qua genuit Wdlaſilaum secundum.“

DUBRAVIUS *Lib. IX.* pag. m. 238 :

„Lucretiam Principis Rhenani filiam duxit uxorem.“

BALBINUS *Miscell. Histor. bohem. Lib. VII. cap. 23:*

„Brecislaus Lucretiam Palatini Rheni filiam, quam viduam acceperat, viduam reliquit, defunctam postea an. 1141.“

Erronea hæc omnia! Neque enim illo ævo inter Comites Palatinos Rheni *Albertus quispiam*, aut *Lucretia* invenitur.

Propius ad verum accessit COSMAS Pragensis *Lib. III.* apud MENKEN Tom. I, pag. 2075 :

„Eodem anno (1094) Dux Bohem, Breceslaus in mense Septembri quamdam matronam de Bavaria, nomine *Lucardam* Alberti comitis (matrem, sororem, an filiam?) duxit uxorem.“

Solus Ioannes MARIGNOLA in Chron. Bohem. apud DOBNERUM loc. cit. Tom. II, pag. 182, rem acu tetigit ad an. 1094 scribens :

„Eo-

,, Eodem anno Dux *Wratislans* mense Septembri duxit uxorem de Bavaria nomine *Lucardam*, *Alberti comitis sororem*. “ Quod cum Monumentis oberaltacensibus omnino congruit.

Verum matrimonio isto per obitum *Wratislai* anno 1000 soluto, vidua Duætrix iuvenis ad alteras cum *Henrico Duce Carinthiæ* nuptias convolavit.

Diem obitus Lukardis vetus Necrologium San. Lambertum notat ad XII. Kal. Aug. *Liukart Ducissa*.

Aliud Necrologium apud Gelasium DOBNER *Mon. histor. Bohem. Tom. III. p. 16.* ponit: II. Kal. Ian. ♂ LUKARTH DUCTRIX; quam ille *Brzetslai* II. uxorem, adeoque nostram opinatur.

Annum vero 1141, nescio unde, prodit BALBINUS citatus.

Num. XX. BEATRIX.

Secundæ uxoris solum nomen ex LAZIO (n. præc.) conflat, quod ei credi potest, cæteras duas assequuto.

Num. XXI. SOPHIA tertia Henrici uxor.

Hoc ipso nomine exprimitur in diplomate Friderici I. Imp. fundatione & privilegia monasterii S. Lamberti in Styria confirmantis, inter *Diplomataria sacra Ducatus Styriæ P. II. p. 279*:

,, Auctoritate nostra confirmantes, quæcunque comes Marchwardus & filius eius felicis memoriæ Dux Carinthiæ *Henricus* eidem ecclesiæ contulerunt. Adhæc etiam sibi confirmantur,

tes, quæcumque post obitum prænominati *Ducis SOPHIA uxor ipsius Ducis tertia conata est ab ecclesia usurpatione violenta subtrahere; ea enim ipsa ecclesia solemni iudicio regalis curiæ obtinuit. Acta sunt hæc an. dom. Incarn. MCLXX. regnante D. Friderico Rom. Imp. glorioſo, anno regni eius XVII. imperii autem XV. datum apud Friesach V, Non. Martii. "*

Hæc *Sophia* post mortem Henrici alteri nupta est viro *Sigehardo* comiti de *Scala & Burghausen*, ut patet ex Codice tradition. farmbacens. *Mon. boic. vol. IV. p. 56. n. 74:*

*„Sirus, qui & Sigehardus Comes de Scala, & eius confors gloriæ Domina Sophia una cum filio suo Henrico delegaverunt - pro remedio tam animæ suæ, quam etiam prioris mariti sui Karinthiorum quondam *Ducis Heinrici*, qui hoc in proprietatis iure dedit . . . Cui rei testificantur Gebehardus comes de Purchusen frater eius, Henricus filius ipsius Sigehardi comitis. "*

Inde autem & genus discimus huius *Sophiæ*. ARENPECKIUS enim in *Chron. Austr.* apud Hieron. PEZ Tom. I. col. 1186. de liberis Leopoldi Pulcri scribit :

„Item aliam filiam N. (Sophiam) Sigehardo comiti, dicto Scharsach copulavit, & dedit ei comitatum Schala (hodie Schalaburg, haut procul Mellicio) cum omnibus attinentiis, & habuerunt liberos & nepotes, quibus defunctis comitatus provinciæ adiicitur. "

Nomen, quod aut ignoravit, aut subpressit ARENPECKIUS, innoteſcit cum ex dictis, tum ex Chronico mellicensi apud eundem PEZIUM :

„Anno

„Anno 1154 Sophia Ducissa Austriae (Carinthiae, nata de Austria) de Scala soror nostra obiit.“

In Necrologio eiusdem monasterii:

„VI. Nonas Maii Sophia Ducissa de Scala.“

Item in Necrologio campiliensi apud HANTHALER *in Fastis campiliens. Tom. I. pag. 137:*

„VI. Nonas Maii Sophia Ducissa de Schalach soror fundatrix S. † (sandæ Crucis).“

Sigehardus iam ante deceperat, iuxta Chron. melicense:

„An. 1142 Sigehardus comes de Scala frater noster obiit.“

XIII. Kal. Maii teste Necrologio.

Iteratum *Sophiae* huius coniugium non latuit AVENTINUM, qui *Annal. Boior. VI. cap. 5. n. 31.* Burghusianorum Comitum schema texens scribit:

„Sigehardus ex *Sophia*, quæ prius nupta fuit Henrico Duci Charinorum, Henricum tulit.“

Probationes ad tabulam III.

Num. I. OTTO I. IMPERATOR.

WITICHINDUS *Lib. II. pag. 642.* apud *Meibomium*:

„Defuncto itaque patre patriæ, & Regum optimo maximo Henrico, omnis populus Francorum atque Saxonum iam olim designatum Regem a patre filium eius Oddonem elegit sibi in Principem.“

Num.

Num. II. EG DID Vxor I. OTTONIS.

Chronicon quedlinburgense ad an. 929. apud LEIBNITIUM
Script. rer. brunsvic. Tom. II. p. 279 :

„ Otto Rex Editham filiam Regis Anglorum matrimonio
fibi iungendam Saxonie adduxit. “

Num. III. LUTGARDIS FILIA OTTONIS I.

WITICHINDUS loc. cit. pag. 640.

„ Nam Rex (Henricus) dedit filio suo Oddoni coniugem
filiam Ethmundi (Eduardi) Regis Anglorum, sororem Adel-
stani, quae genuit ei filium Luidolfam . . . filiam quoque no-
mine *Luidgardam*, quae nupserat Conrado Francorum Duci. “

Num. IV. CONRADUS Dux, LUTGARDÆ maritus.

REGINO continuatus ad an. 955.

„ Conradus Dux Regi tunc temporis pene præ omnibus
charus *Luidgardam* filiam Regis in matrimonium sumvit. “

Num. V. OTTO Dux Carinthiæ, CONRADI
& LUITGARDÆ filius.

DITMARUS restitutus Lib. V. pag. 370. apud LEIBNITIUM
loc. cit. Tom. I.

„ Horum necessitati ad succurrendum Otto Carentanorum
Dux & Veronensium Comes - - a Rege dirigitur. Quis au-
tem ille Dux Otto fuerit, quia superius retinui breviter inti-
mabo. Hic igitur a Conrado Duce & Luitgarda filia Ottonis
primi Cæsaris maximi procreatus - - . “

Num.

Num. VI. IUDITH, VXOR OTTONIS.

Documentum fundationis Monasterii Grævenhusen in diœcesi Spirensi apud GUILLMANNUM in Syntagmate de vera origine & stemmate Conradi II. Imp. Salici pag. 12.

„Noverit -- qualiter ego Otto Dei gratia Dux animæ meæ, parentumque meorum saluti prospiciens suadente IUDITHA conthorali mea, cum assensu trium filiorum meorum Henrici, Brunonis, Cunonis -- facta est autem chartula huius traditionis an. Incarn. dom. 977. Indict. VI imperante Ottone II.“

Num. VII. ITHA filia CONRADI Ducis &
LUTGARDÆ.

„Anonymous Weingartenis de guelfis Principibus apud CANISIUM BASNAGII Tom. III. P. II. p. 581. & apud LEIBNITIUM Tom. I. pag. 783:

„Rudolfus (II.) frater superiorum accepit uxorem de Oeninge *Itham* nomine, cuius pater *Cuono* nobilissimus Comes, mater vero eius filia Ottonis magni Imperatoris *Richlint* nomine.“

Nomen istud *Richlint* pro *Lutgarda* positum clarissimum ECCARDUM Originum Domus Guelf. Tom. II. pag. 215. §. 3. induxit, ut istam *Richlindam* tribueret alteri Ottoni Saxonie & Bavariae Duci anno 982 defuncti. Nec felicior in divinando fuit ECCARDI emendator cl. SCHEIDIUS loc. cit. nota 5. *Richlinden* istam, naturalem Ottonis M. filiam suspicatus. At vero si conferantur testimonia Num. 3. & 4. adducta, evidens est veram Ottonis filiam suisse *Lutgarden* prædicti *Chunonis* uxorem.

Obiit

Obiit *Itha* teste CRUSIO apud eundem SCHEIDIUM pag. 217.
anno 1020. Ex voto suo sepulta in monasterio S. Altonis. Ex Biographo eiusdem loc. cit.

Num. VIII. RUDOLFUS II. Comes Altorenfis,
ITHÆ maritus.

Sequor heic ECCARDUM pag. 205. ut ille CRUSIUM, & hic AVENTINUM.

„Anno 1020, verba sunt CRUSII, mortua est *Itha*, quæ fuit generosa Comes ex Oeninga lacus bodamici (hodie pagus & præfectura est) quæ fuerat nupta Comiti Altorenfisi Rudolfo, qui nepos fuit illius *Rudolfi*, qui habuit fratrem S. Conradum.“

AVENTINUS Annal. lib. VI. pag. 482. n. 12.

„Rudolfo (fratre S. Conradi) Welfo secundus progenitus; hoc alter quoque Rudolfus. -- Rudolfus II. (Welfi I. filius) uxorem habuit *Itham*, Suevam genere, haud longe a Brigantino lacu ortam, filiam Conradi Oeningensis, neptem Imperatoris Ottonis M. ex filia Richolita (*Luitgarde*), sororem Chunegunde coniugis Friderici in Dieffen & Andechs Principis.“

Apparet itaque, concludit ECCARDUS, consentiente SCHEIDIO, a Weingartensibus duos Rudolfos in unum confusos, & intermedium *Welfum*, cum ille ob beneficia in Monachos collata non celebratus esset, plane fuisse omissum,

Num.

Num. IX. X. XI. ITHÆ *sorores tres.*

Weingartenis num. 7. allegatus pergit:

„Habuit quoque idem Couno (Luitgardæ Maritus) quatuor filias, quarum una (Itha) Rudolfo isti (secundo), alia cuidam de Rinsfelden (Bertholdo) Parenti Zaringorum, tertia Regi Rugiorum (Rusorum) quarta comiti de Dychon nupsit.“

Hanc recte AVENTINVS *Chunegundam de Dieffen* appellat,
& Friderico Vxorem assignat.

Num. XII. HENRICVS *Dux Francorum.*

ALBERICVS trium fontium in Chron. ad ann. 1024:

„Hic inferendum est, quod filia primi Ottonis Imperatoris, soror vero secundi nomine Iuditha (*Lutgardis N. 3.*) Duci Wormatiæ Conrado - - peperit ducem Ottонem, de quo Ottone nati sunt Conradus dux memoratus, & Henricus Pater huius Conradi (*Salici*)“

WIPPO de vita Chunradi Salici pag. 425 :

„Erant duo Chunones, quorum unus, cum maioris ætatis esset, *maior* Chuno vocabatur: alter autem *iunior* Chuno dicebatur, ambo in Francia teutonica nobilissimi ex duobus fratribus nati, quorum alter Hetzel (*Henricus*) & alter Chuno dictus est: ipsos vero ab Ottone Duce Francorum natos acce-
pimus, cum duobus aliis Brunone & Willhelmo.“

Num. XIII. ADELHEIDIS VXOR HENRICI.

WIPPO loc. cit.

„ Prædicti duo Chunones cum essent, ut dictum est, ex parte genitorum nobilissimi, haud secus ex materno genere claruerunt. . . Maioris Chunonis mater (Henrici Patris Vxor) Adalberta, vel Adalbera, vel Adelheyda, ex nobilissima gente Lotharingorum oriunda fuerat, quæ Adelheyda soror erat comitum Gerhardi & Adalberti. “

Num. XIV. BRVNO PAPA SVB NOMINE GREGORII V.

WIPPO N. 12. allegatus, pergit:

„ Ex quibus Bruno apostolicæ sedis Romanæ Ecclesiae Papa effectus, mutato nomine Gregorius appellatus est. “

Annales Hildesimenses apud LEIBNITIVM Tom. I. pag. 721:

„ Ann. DCCCCXCVI. Indict. IX. Ioannes Papa obiit. Unde Imperator (Otto III.) in Italia positus rumore incitatus, præmissis quibusdam Principibus publico consensu & electione fecit in apostolicam sedem ordinari suum Nepotem, Dominum Brunonem Ottonis filium, qui Marcham Veronensem servabat, imposito nomine Gregorii, a quo & ipse proximo solenni Pentecoste Imperator & Patricius consecratur. “

Num. XV. CHVNO DVX CARINTHIÆ.

HERMANNVS Contractus ad ann. 1012:

„ Chuonradus Dux carentani moriens Adalberoni ducatum reliquit.“ Vid. N. 12.

Num.

Num. XVI. RICHLINDIS, VXOR ADALBERONIS III.
Comitis Ebersbergensis.

Huius fere unius gratia quum præsentem Tabulam adornaverim, paullo operosius de ea agendum. Omissis, quæ de eadem Num 19.) ad Tabulam I. adnotavi, heic relegendæ, de eius prosapia convenienter autores, eam suisse filiam Ithæ (N. 6.) & Rudolfi II comitis, et si plerisque nomen Mariti hujus Richlindæ ignotum fuerit. CONRADVS Vrspergensis apud PFEFFINGERVM ad VITRIARIVM Tom. II. pag. 407 :

„ Tertium quoque filium, videlicet Rudolfum habuit sæpe dicitus Henricus, qui Rudolfus (II.) accepit Vxorem de Wingen (Oeningen) Itham nomine, cuius Pater Cuno nobilissimus comes fuit, mater eius exstitit filia Ottonis M. Imp. Richlint (Lutgart) nomine. . . Rudolfus de præfata Itha Vxore sua duos filios progenuit, videlicet Welphonem, qui primus hoc nomen accepit, & Henricum. . . Genuit & filiam Richardam (Richlinden) nomine quæ postmodum moriens in Monasterio Ebersperck sepulta est. Maritus namque eius (Adalbero III.) ditissimus comes Bawiorum, cum non haberet hæredem, tres abbatias construxit, videlicet Ebersberck, Gisenvelt, & Chubach. “

Repetit fere postrema hæc verba Vitus Arenpeck Pezianus Tom. III. p. III. col. 210. in Tabula genealogica Guelforum, ubi tamen Adalberonem nominat, quem Vrispergensis nesciebat.

Ita quoque PISTORIVS Script. Rer. germ. Tom. III. p. 710. in Tabula genealog. S. Conradi Episcopi Constant.

VITVS Ebersberg. Oefelianus II. p. 711. cap. 20. de genealogia Richardis Vxoris comitis Vdalrici (verius Adalberoni);

„Richardis autem (*Richlindis*) nobilissima Coniux Vdalrici (*Adalberonis III.*) genealogiam sive originem habuit ex parte Matris de sanguine Ottonis M. Rom. Imp. Otto primus sive magnus habuit filiam Richlindis nomine (*Lutgard*) & hæc habuit Maritum Chunonem comitem potentissimum, ex quo genuit filiam Itham nomine, & hæc fuit Vxor Ducis Rudolfi, de quo genuit filiam Richardis (*Richlindis*) nomine, quam dedit sæpe dicto Vdalrico (*Adalberoni*) comiti.

Confundit hic Autor *Richarden Carinthiacam Vdalrici* coniugem cum *Richlinde Welfica*, Vxore *Adalberonis III.* Quæ porro tam iste, quam alii de constructione trium abbatiarum prædictarum adducunt, erroris convincuntur ex Probationibus ad Tab. I.

Num. XVII. HENRICVS, *Ithæ filius.*

Anonymous Weingartensis de Guelfis citatus :

„Rudolfus ex sua Itha duos filios Henricum & Welsonem, & filiam Richardam (*Richlinden*) nomine progenuit. Hic est Henricus, qui sub annis adolescentiæ in venusta valle iuxta villam Lounon in venatione saxo percussus interiit.“

Num. XVIII. WELFVS.

Idem Weingartensis:

„Guelfo supra nominatus Rudolfi huius filius uxorem duxit ex gente Salica de castro *Glixberg* (quod idem est, ac

Lunen-

Luxenburg, a germanico *Gleissen*, *Gleiffen*, & latino *lucere*.)

Num. XIX. CONRADVS SALICVS IMPERATOR.

Chronica Regum Francorum Autoris Anonymi, qui sub hoc Imperatore vixit, in LAMBECHI commentar. de Bibliotheca cæsarea vindobon. Lib. II. cap. 5. pag. 394:

„Mortuo Arnulfo Ludovicus Puer, eius filius, imperavit quatuor annis, cui Conradus, deficiente saepè dicta Imperatoria Stirpe, nobili Francorum, quamvis non de eodem Stemmata ortus, feliciter successit. Conradus prævidens sibi extremam imminere horam, iussit evocare Henricum Ducem Saxonie, cui & sceptrum dedit. — Qui Henricus duos filios habuit Ottонem I. Imp. & Inricum Ducem Baioariæ. Otto Imperator generavit secundum Ottонem Imp. cui coniuncta est Stephani nobilissima græcorum, ex quo sibi genitus est tertius Otto Imperator. . . . Conradus Dux, qui fuit ex progenie Conradi Regis prædicti, accepit filiam Ottonis I. Imp. ex qua natus fuit Otto Dux. Otto Dux habuit filios duos, unus nomine Cono, alter Hezil. Ex isto Hezil natus est Cono (Conradus Salicus) qui modo Rex est.“

Num. XX. CHVNO IVNIOR.

HERMANNVS Contractus ad ann. 1012.

„Conradus Dux Carentani filius Ottonis Ducis, fraterque Brunonis dudum Papæ obiit, & privato filio eius puero Conrado Adalbero Ducatum accepit.“

Idem

Idem ad ann. 1019. Conradus adolescens, filius Conradi quondam Ducis Carentani, auxiliante patre suo, Conrado postea Imp. Adalberonem tunc Ducem Carentani apud Vlmam pugna victum fugavit.

Ann. 1036 Conradus Patruelis Imperatoris, Patris sui Ducatum in Carentano & in Histria, quem Adalbero habuerat, ab Imperatore suscepit.

Ann. 1039 Conradus Dux Carentani & Adalbero amulus eius, qui ante eum Ducatum eundem tenuerat, ipso anno obierunt. "

Num. XXI. WELFS III.

Weingartenis loc. cit.

„Genuit & filium sui nominis Virum per omnia probatum, qui Ducatum Carinthiorum & Marchiam veronensem aquisiuit, & strenuissime rexit. "

Probationes ad Tabulam IV.

In ista quidem WERIGANDI Genealogia, ut quædam certifima sunt; ita alia probabili solum coniecturæ innituntur, nulli tamen anachronismo obnoxiae.

Num. I. WERIANT DE FRIESACH.

Ex codice MS. complacitationum illustris Capituli Metropol. salisburg Autor Originum Dom. boic. communicatam accepit sequentem;

„Com-

„ Complacitatio inter Odalbertum Archiepiscopum & *Vueriandum* vel Adalsuindam Vxorem suam. Notum sit igitur - qualiter Odalbertus iuvavensis Ecclesiæ Archiepiscopus quamdam complacitationem cum quodam nobili viro *Vueriant* vocato, & cum uxore sua nomine Adalsuind consilio fidelium suorum agere decrevit.

Tradidit namque predictus *Vueriant* cum Adalsuinda uxore sua in manus Odalberti Archiepiscopi & Advocati sui Reginerti proprietatem suam, quam in loco *Hus* dicto traditione Arnolfi & Perholdi *Ducum* accepit, ut post obitum suum & Vxoris suæ *Adalsuinde* ac filiorum suorum *Bertholdi* & *Bernhardi*, atque filiarum suarum N. *Hiltigart* & *Vuoza* ad S. Petrum sanctumque Rupertum ad Iuvavensem Sedem perenniter in proprietatem possidendam. - Econtra vero Odalbertus Archiepiscopus cum manu Reginerti Advocati sui tradidit *Vueriando* & *Adalsuinde* coniugi suæ curtem *Friesach* dictam cum Ecclesia & decimis ac edificiis, mancipiis - - - sequuntur nomina testium anno Dom. DCCCCXXVIII. Actum ad Karantan. (Mospurg) VII. Id. & VI. Id. Maii. “

In eodem Codice complacitationum legitur alia anecdota
cap. 2.

„ Gotaberti Choropiscopi cum Odalberto ven. Archiepiscopo, qui cum manu advocati sui Regenberti in manus Kotaberti Choropiscopi & advocati sui *Bertoldi Ducis* hæc loca ad scum Mariam ad Charantanam, ad scum Petrum in civitate carantana, ad scum Laurentium ad Korkizam, ad Zeleznam, ad scum Petrum ad Ostaruizan, ad Trevnam. Item ad scum Mariam ad Drauum, ad Muoriza kimundi, ad Rotenmannum,
ad

ad Laventam - usque ad finem vite sue in proprietatem tradidit atque transfudit. - - Testes Rodperth Com. Reginker, Com. Diotmar, Com. Regenhart. Arpo. Uueriant. Marcuart. Alcuin. Herolt. - - Aetum in synodo in aecclesia sce Marie ad Carantanam an. dom. Incarn. dcccXXVII. Indict. XV. sub die Kl. Iun. feliciter in Dei nomine. "

Non dubito, quin iste *Uueriant*, seu *Werigandus* idem cum priore fuerit, cum personæ, loca, & anni in eundem conspicient.

Num. II. ADALSUINDA.

Præter huius nomen reliqua latent.

Num. III. BERTHOLDUS.

Videtur istud nomen fuisse sortitus a Duce *Bertholdo*, qui illum forte e sacro fonte levavit.

Num. IV. BERNARDUS.

De hoc non habeo, quæ dicam.

Num. V. HILTIGART.

Constat ex Monumentis Ecclesiæ Sabionensis, a cl. Reschio communicatis Tom. III. pag. 652. uxori Henrici minoris Bavar. & Carinth. Ducis, quem nonnulli Bertholdo Duci filium tribuant, nomen *Hiltigardis* fuisse, quumque tempora, personæ, & Provincia carinthica congruant, suspicari liceat, hanc ipsam, cuius fratrem *Bertholdus* Dux, Henrici minoris genitor e sacro fonte levaverat, Henrico filio desponsatam fuisse.

Num.

Num. VI. VUOZA.

Huius solidum nomen hactenus ex N. 1. scitur.

Num. VII. WERIENTUS II.

Liceat mihi heic denuo suspicari, *Werientum*, qui anno 990 & 1001 occurrit (N. 23. ad tab. I.) ex alterutro filiorum, *Bertholdo*, vel *Bernhardo* natum fuisse, quem *Werigandum II.* appello, &

Num. VIII.

WILLPIRGIS II. Ebersbergenis maritum priorem assignavi, circa an. 1002 defunctum.

Num. IX. WERIENTUS III.

Quoniam ad annum 1027 *Werientus* occurrit nobilis sacramentalis pro POPPONE Patriarcha aquileiensi (Num. 24. ad tab. I.), quid prohibet, hunc filium prioris dicere, & *Werigandum III.* appellare?

At opponenteim audio, si *Werigandus* tertius filius secundi fuit; cur patri non successit in comitatu Foroiulii, seu Istriensi, quum ad hunc ipsum annum eundem rexerit *Vezelinus*?

Repono: puerilis ætas obstat potuit, quo minus filio regendus erederetur comitatus paternus. Si enim *Werigandus* pater anno 1002 diem suum obiit; filiolus vix annum undecimum adtigerat, quo quidem tempore Comitis, hoc est, Iudicis officio fungi nondum poterat. Præterea suspicari fas est, matrem *Willpirgen* filii tutelam suscepisse, alterumque eius maritum *Vezelinum* eundem comitatum loco Minorennes admisstrasse,

nistrasse, qui eodem defuncto ad filium, interea sui iuris factum, postliminio rediit. Certe enim ad an. 1028 iterum legitur: in *comitatu Varienti Comitis goritiensis*. (*Num. 23. ad tab. I.*)

In traditionibus frisingensibus sub Egilberto Episcopo, qui Ecclesiæ illi ab an. 1006 ad an. 1036 præfuit, sequens legitur apud MEICHELBECK H. F. Tom. I. P. II. n. 1161:

„Noverint omnes - qualiter quidam nobilis vir nomine Altmann delegavit ad oblationem fratrum premium suum loco *Arzpath* (circa *Admont* in hodierna Styria, olim Carinthiæ parte ad fluvium *Arzpath* situm) ita confirmans, ut si quislibet illud auferret fratrum stipendio proximus ex sua cognatione Bisantio (aureo) sibi vendicaret. De nobilibus sunt testes: Perachtolt, Iagob, *Weriant*, Walmann, *Wazo*.

Poterat is esse *Werigandus*, mihi tertius; nam circumstantiae temporis, & loci omnino congruunt.

Prætermisso tituli *Comitis* non officit; hunc enim frequenter omitti norunt antiquitatum periti.

Num. X. AZO MARCHIO.

Ad an. 1027 apud Bern. de RUBEIS loc. cit. col. 500, inter iudices Conradi Imperatoris (*N. 23. ad tab. I.*) legitur *Azo filius Varienti*.

In diplomate Popponis Patriarchæ aquileiensis apud CORONINUM Com. de CRONBERG in citato tentamine rerum goritiensium inter testes tertio loco subscribit iste Azo ad an. 1041. pag. 178.

Ad

Ad annum quoque 1077 ex diplomate Henrici IV. Imp.
Quo ecclesiæ aquileiensi confertur comitatus Foroiulii, inter
Marchiones iste *Azzo* occurrit apud de RUBEIS col. 537.

, Heinricus - - Quapropter notum esse volumus , qualiter
nos ob remedium & interventum - & Ducis etiam Liutoldi,
Marchionum quoque Wilhelmi, *Azzonis*, Adalberti, nec non ob
fidele servitium Sigehardi Patriarchæ comitatum Foroiulii - tra-
didimus datum anno MLXXVII. “

Ista quidem ut pro certis non vendito , vero tamen haut
absimilia iudico ; ita saltim declarant , *Willpirgen nostram vi-*
ro Werigando nupsisse haud disparis nobilitatis , & se digno.

Probationes ad Tabulam V.

Num. I. WILHELMUS Comes Wimmariensis.

DITMARUS restitutus apud LEIBNITIUM *Script. rer. brun-*
suic. Tom. I. p. 368. referens, Ducatum Boiarie Henrico Mar-
chioni Schwinsurtensi , quem ab Henrico II. Imperatore spe-
raverat , negatum , hæc subiungit :

, Quod ubi Henricus ab intermunciiis accepit , in maiorem
promissi muneris desperationem veniens , paulatim se ab Regis
subtraxit familiaritate comitaturque tamen ab Alemannia pro-
ficisentem in Franciam , postea in Thuringiam. Ibi *Wilhel-*
mus Turingorum tunc potentissimus obviam pergens , Domi-
numque venientem cum magna gratulatione suscipiens miles
Regis efficitur. Ibi tunc Rex a præfato comite & a primis il-
lius regionis collaudatur in Dominum. “

ADELboldus Traiectensis in vita Henrici I, apud eundem LEIBNITIUM loc. cit. p. 433. n. 11:

„Rex igitur non multis diebus in Francia moratus, in Turingiam ivit. Ibi absque mora GUILIELMUS princeps Turinorum cum cæteris occurrentis Regis efficitur (*Miles*).“

Mortem oppetiisse circa an. 1034 inde colligitur, quod ad hunc annum notet Annalista hildesimensis apud eundem LEIBNITIUM p. 727. *Odam* huius *Wilhelmi* viduam Dedoni III. nuptam fuisse;

„Eodem anno Thiedricus (*Dedo II.*) Comes Orientalium (*Turingorum*) a militibus Eggiherdi (*Eccardi II.*) Marchionis in proprio cubiculo facta salutatione circumventus in dolo XIII. Cal. Decembris occiditur. Cuius dignitatem honoris *Dedi* (*Dedo III.*) filius eius obtinuit, qui postea *Odam* Wilhelmi Turingorum Prætoris viduam in coniugium ascivit.“

Consentit *Annalista Saxo* ad an. 1046:

„Supradicto autem Comite *Willhelmo* defuncto uxor eius *Oda* nupsit *Dedoni* Marchioni.“

Num. II. N. *Vxor Willhelmi*.

De hac nihil liquet, nec huc refert.

Num. III. *Oda uxor II.*

Hæc iam comprobata fuit N. I.

Num.

Num. IV. WILLHELMUS II. MARCHIO.

De filiis Willhelmi I. qui etiam *magnus*, & *venerabilis Senior* audit, hæc leguntur apud *Annalistam Saxonem Eccardinum* ad an. 1046:

„ Rex Henricus natale Domini Goslariæ celebravit. Ekkhardus (*Eccardus II.*) Marchio subitanea morte præfocatus interiit, & Willhelmus Marchiam illius (meridionalis Thuringiæ) acquisivit. Huius pater fuit Willehelmus Comes de Wimmare *venerabilis Senex* . . . Huic Willehelmo erant tres filii, hic, de quo loquimur, *Willhelmus II. Marchio, Otto, & Poppo.*

Item ad an. 1056:

„ Wilhelmo & Ottoni filiis illius Magni Willhelmi de Wimmare. “

De *Willhelmo II.* hæc scribit LAMBERTVS Schafnaburg. ad an. 1061. pag. 325. apud PISTORIUM Struvianum:

„ Andreas Rex Vngarorum, videns Belam, quemdam propinquum suum (immo, fratrem) regnum affectare & Vngarios a se paulatim ad eum deficere, uxorem suam & filium Salomonem, cui Imperator filiam suam parvulo parvulam desponderat, cum multis opibus ad Regem Henricum transmisit, petens, ut & sibi misso exercitu subveniret, & suos, donec rebus tranquillitas redderetur, servaret. Rex Willhelnum Marchionem Turingorum (*Annalista Saxo* hunc deflorans ad eundem annum addit: *filium Willhelmi de Wimmare*) & Epaponem Citicensem Episcopum cum Duce Boemorum & exercitu Baioarico illuc misit, sed Marchio & Episcopus priores Vngariam ingressi, non exspectato Duce Boemorum cum Bele signa

signa contulerunt, atque infinitam multitudinem Vngarorum peremerunt. Deinde cum ex omni parte Vngari ad ferdum suis auxilium frequentes confluxissent, videntes missi Regis, tantæ multitudini se numero & viribus impares esse, finibus hostium excedere volebant. Verum illi loca omnia, per quæ exitus esse poterat, occluserant, tum ne quid cibi aut potus in via reperiretur, providerant, cumque insuper abeuntes crebra incursione infestarent, & illi semper periculum virtute propulsantes, magnas hostium strages darent, tamen diuturna cæde exhaustis viribus, Andreas equo forte excusus, pugnantium pedibus est conculcatus, Episcopus captus, Marchio fame magis quam ferro expugnatus se dedidit; cuius virtus tantæ admirationi apud Barbaros fuit, ut Ioas filius Belis, pro illius tum gentis moribus haud desperatæ indolis adolescentis, ultro patrem exoraret, non modo ut eum iure belli intactum fineret, sed etiam ut affinitate sibi iungeret, desponsata ei filia sua, sorore Ioiada. “

Repetit hæc omnia Paulus LANGIUS in Chronico citicensi ad eundem annum apud PISTORIUM Tom. I. pag. 1142. & addit:

„Desponsata ei *filia sua*, sorore *Ioadae*, & sic tandem cum gloria dimissus, cum Episcopo & aliis, qui simul venerant, & cædibus supererant, ad propria est reversus. “

Ad istum LAMBERTI locum sane memorabilem observat Georgius PRAY in *Annal. Regum Hungariæ Tom. I.* pag. 62. istum *Ioas* non alium esse, quam *Geysam I. Belæ filium*, additque pag. 64. Nota a) *Joyadam* istam *Belæ filiam*, *Geyse I.* & *Ladislai* sororem fuisse. Consentit eidem Annalista Saxo, paullo post proferendus.

Pergit

Pergit LAMBERTUS ad an. 1062 :

„ Willhelmus Marchio reversus in Thuringiam, dum redire in Vngariam, & sponsam suam cum magna opum suarum ostentatione adducere pararet, inter eundum secundam mansione morbo correptus obiit. Sponsam eius *Vdalricus*, Marchio Carentinorum, cognatus eius (ex fratre nepos) accepit, Marchiam vero *Otto* frater eius obtinuit. “

Repetit hæc verba Annalista Saxo Eccardinus ad eundem an. & sponsam adpellat *Sophiam*, *Ladislai* (hinc & Geyfæ I.) sororem, adeoque *Belæ I.* filiam.

Ab utroque paullisper discrepat Anonymus *Weingartenis* de *Guelfis Principibus* apud Canisium Basnagii Tom. III. P. II. pag. 583. & apud LEIBNITIUM Scriptor. brunsuic. Tom. I. p. 785:

„ Henricus frater eius (Welfonis) ducatum & omnia, quæ illius erant, obtinuit Qui uxorem iam dudum vivente patre de Saxonia accepit, filiam *Magnonis* Ducis, & *Sophiæ* sororis Regis *Vngariæ* *Colomanni*, *Wulfilden* nomine.“

Heic omnino pro *Colomanno* legendum esse *Ladislai*, ex dicendis ad N. 9. constabit.

Pergit *Weingartenis*: „ Erat tandem eadem *Sophia* (LAMBERTO *Joyada* dicta) antea (nempe post mortem Willhelmi sponsi) cuidam de Carinthia (*Vdalrico*) copulata, ex qua genuit *Poponem* Marchionem. Porro soror huius Sophiæ (immo neptis ex fratre *Ladislao* Pyrisca, Græcis *Irene*) Regi Græcorum nupsit. Aliam sororem eius (*Sophiæ*) *Berchtam* quidam Comes (*Hartucus*) ex claustro quodam sanctimonialium abstractam

stractam duxit, & ex ea *Fridericum ratisponensem Advocatum genuit.* “

Si auctoritati huius *Anonymi* per omnia standum foret, ista *Sophia* non *Belæ I.* sed *Geyse I.* filia fuisset, id, quod haec tenus Græci Scriptores plerique censuerunt, qui *S. Ladislauum cœlibem vixisse existimarunt.*

Postquam autem hodie de coniugio & uxore huius *S. Regis*, immo & de liberis eius, scilicet *Colomanno* & *Pyrifca* constat; hinc *Sophia* non iam horum, sed *Geyse I.* & *Ladislai* soror, *Belæ I.* autem filia dicenda est.

Et de *Colomanno* quidem id diserte affirmat nota antiquissima ad Archidiaconi Spalatensis historiam, *Scriptor. rerum Hungaricarum* cl. SCHWANDNERI Tom. I. p. 634. „*Colomanus*, filius *Wladislai Regis Vngariæ*, stans in regno loco patris sui &c.“

Pyrifcam autem, Græcorum Imperatori nuptam, itidem *S. Ladislai* filiam, adeoque *Colomanni*, non *Geyse I.* sororem fuisse, quoniam hoc non admodum pertinet, comprobatum legi potest apud cl. Stephanum KATONA in *Historia critica Regum Hungariæ* Tom. II. p. 730. *seqq.*

Isthæc autem hallucinatio eo magis condonanda *Weingarteni* scriptori extero & remoto, quo minus hodiernis quibusdam Hungaris, qui errantem sequi malunt, quam recentiores Criticos veriora docentes. Verum de ista *Sophia* recurret sermo ad N. 9.

Num. V. OTTO DE ORLAMVNDE.

Fratrem suisse Willhelmi secundi, & primi filium ex *Oda*, præter dicta (Num. præc.) probat Appendix ad Chronicon Montis sereni apud ECCARDVM *Origin. saxon.* p. 63.

„Et duxit (Dedo III. Marchio) Vxorem *Odam* matrem Ottonis de Orlamunde... De functo vero Ottone Marchione, & matre eius *Oda*, prædictus Dedo Marchio viduam eius (Ottonis privigni sui) Adelam duxit uxorem. Hæc fuit nata de Brabantia ex castello quod dicitur *Lovene*.“

Annalista Saxo ad ann. 1070:

„Dedo Marchio non sine Saxonie principum consensu tyrranidem in partes regias orditur... Non multo post filius eius Dedo iunior vir æque militaris, quem illi *Oda* mater Ottonis de Orlagemunde generat, cum quadam nocte ad necessitatem naturæ secessisset, apposito extrinsecus insidiatore confossum in inguine occisus est. Quis necis eius Autor fuerit, non satis constat, quamquam dolo Novercae imperfectum vulgi sermonibus iactaretur. Hæc erat vidua dicti Ottonis, quam defuncto Ottone & Matre eius *Oda*, Dedo senior uxorem duxerat... Ipsa autem *Adhela* dicebatur nata de Brabantia ex castello, quod dicitur *Lovania*, seu vulgariter *Lovene*.“

Iustum Ottonem ann. 1067 obiisse testatur LAMBERTVS Schafnaburg. pag. 337:

„Otto Marchio Thuringorum obiit... Marchiam eius Egbertus patruelis Regis suscepit.“

Num. VI. POPPO.

Venio nunc ad Popponem, cuius gratia hanc Tabulam præcipue adieci. *Annalista Saxo* ad ann. 1062 sequentia de eo tradit:

„Horum scilicet *Willhelmi & Ottonis* Marchionum frater fuit *Poppo*, qui habuit filium *Oudalricum*, qui sororem *Ladizai* Regis Vngariae *Sophiam* duxit Vxorem, quæ genuit ei iu niorem *Oudalricum*, qui accepit filiam Ludoyici comitis de Thuringia.“

Quid illi porro acciderit, quandove obierit, nullibi legitur. De uxore solum heic indagandum.

Num. VII. AZZICA VXOR POPPONIS.

Quum extra dubium omne positum sit, hunc *Popponem* Patrem exstisisse *Oudalrici* Marchionis (Num. præc.) uxorem quoque habuerit necesse est, quam tamen nemo hactenus prodidit. Ego vero iam supra (N. 24.) ad Tabulam I. rationem non unam protuli, cur *Willbirgen* Semtanam uxorem credam *Wezelini*, qui genuit *Azzicam*, *Vdalrici* Marchionis Matrem,

Iste enim cum non una vice *Addalberonis III.* Ebersbergensis *Nepos* dicatur; cum *Willpirgis*, eiusdem *Adalberonis* & *Eberhardi* foror, per manum *Vdalrici* Marchionis, tanquam propinqui sui traditionem fecerit; cum ipse *Vdalricus* Marchio instrumento fundationis Geisenfeldensis ab *Eberhardo* factæ testis subscripterit; cum insuper sciamus, *Vdalricum* eodem tempore & *Popponis* & *Azzice* filium; cum denique circumstantiæ omnes concurrant: quis inde cum summa probabilitate

tate non inferat, *Azzicam* istam *Vdalrici* matrem, *Popponis* eiusdem Patris coniugem fuisse hactenus incomptam, & ipsum *Vdalricum* hac ratione verissime dici *Adalberonis* Nepotem, quippe natum ex filia *Willbirgæ* eiusdem sororis?

Non video sene, quid ipsis momentis opponi, aut quia alia ratione *Vdalricus*, Patre Saxone natus, Nepos dici valeat Ebersbergenium in Bavaria comitum, nisi per matrem *Azzicam*, *Willbirgis* Ebersbergenis, Aviæ suæ, filiam inde descenderit.

Num. VIII. VDALRICVS I.

Dictum de isto *Vdalrico* abunde fuit N. 24. ad Tab. I. item N. 6. & 7. ad Tab. IV. quibus sequentia addere lubet.

Vetera inter transsumta, quæ Bernard. de RVBEIS *Monument. Ecclesiae aquileiensis col. 535.* protulit, huius etiam *Vdalrici* sit mentio:

„ Privilegium Henrici Regis de XX. Massariciis datis *Voldarico* Marchioni in certis locis Istriæ. MLX. — Item. — Qualiter Artuicus de castro Pyranensi cum Bona uxore sua dedit castrum Veneris *Voldarico* Marchioni, Auno Henrici Regis - - - MXIV.

Heic omnino numerum L. omissum, & legendum censeo: MLXIV. Utrumque enim, annus & provincia, *Vdalrico* nostro congruit.

Iam saepius allegatus D. CORONINVS comes de CRONBERG in Tentamine rerum Goritiæ pag. 179. Edit. secundæ ad ann. 1064 diplomatis cuiusdam Synopsin a Comite LANTHIERI sibi communicatam, in hæc verba refert :

„ Henricus IV. Rex concedit Odalrico Marchioni Istriæ viginti regales Mansos in Istria. Actum Goslar Indict. II. an. 1064. “

Præfatus comes de LANTHIERI subministravit notitiam alterius diplomatis eiusdem Henrici IV, Imp. de ann. 1066 cuius sequens est compendium :

„ Idem Henricus Rex concedit Adalberto fidieli suo villam quamdam Strongi in Regno, & Marchia Istriæ Woldrici Marchionis -- Actum Ekkihartesbergæ Indictione IV. anno 1066“
Cit. Specim. rerum goritiens., pag. 179.

Certas pariter temporum notas subpeditant diplomata apud MEICHELBECKIVM *Histor. frising.* Tom. I. P. I. pag. 228.

„ H. Rex Rom. Aug. -- pateat, quemadmodum -- quasdam Iuris nostri proprietates ad fiscum nostrum pertinentes in Marchia Histria & in comitatu Marchionis Vdalrici inque locis subnotatis, id est, in Pyrian (sorte idem cum castro Pyranensi, quod supra ad ann. MLXIV. occurrit) & Niwenburch sitas -- in proprium tradidimus. . . . Dat. IX, Kal. Novemb. ann. MLXII. Indict. I. “

Exstat itidem pag. 261, & aliud diploma :

„ Hen-

„ Henricus d. f. cl. Rex. — Notum esse volumus, qualiter nos frisingensi Ecclesie - ob petitionem & interventum - *Oudalrici Marchionis*, nec non ob fidele servitium Ellenhardi eiusdem sedis Episcopi has villas - - in pago Istria in Marcha *Oudalrici Marchionis* sitas — in proprietatem dedimus. — Dat. tertio Nonas Martii an. MLXVII, Indict. V. “

Annum obitus Vdalrici nostri memorant LAMBERTUS Schafnburgensis:

„ An. 1070 Vdalricus Marchio Carentinorum obiit. “

Et ANNALISTA Saxo ad eundem annum:

„ Odalricus Marchio Carentinorum obiit cuius viduam Sophiam sororem Ladislai Regis Vngariæ *Magnus Ordulfi saxonicæ Ducis filius accepit uxorem.* “ De qua mox plura.

Num. IX. SOPHIA, uxor VDALRICI I.

Hungaricam quamdam Principem, cui *Sophiae* nomen, *Vdalrico* huic coniugem non LAMBERTUS modo Schafnburg. cum desloratore suo *Annalista Saxone*, sed & *Anonymous Weingartensis* tribuunt (N. 4. ad hanc tab.) in eo inter se discordes, quod illi *Belæ I.* iste autem *Geyssæ I.* filiam existiment.

Novissimi quoque Scriptores Hungari in partes scinduntur, dum plerique illorum duas *Sophias* statuunt, quarum unam *Belæ I.* alteram *Ladislai I.* filiam afferunt, diversis maritis so ciatas, de quibus modo pluribus, ut agam, operæ videtur pretium.

De prima P. Samuel TIMON in *Epitome chronologica rerum Hungariæ*, Cassoviæ an. 1736 edita p. 16. testatur, ex antiquis cœnobii Bozockinensis litteris, a Bela II. Rege an. 1135 denuo firmatis, cœnobium istud a Comite quodam Lambertu[m] cum uxore sua Sophia, sorore S. Ladislai Regis, adeoque Belæ I. filia, sūisse fundatum, id quod etiam adnotavit Petrus PAZMANNUS, Archiepiscopus Strigoniensis in Appendix prima synodi diœcesanæ Tyrnaviæ die 4. Octob. an. 1629 celebratæ.

Eundem Lambertum fundatorem, & Sophiam Ladislai Regis sororem agnoscit quoque P. Trsztjaniszky in *Topographia regni Hungariae* Viennæ 1750. lib. 4. cap. 4. §. 6. in eo tamen aberrans, quod Lambertum huius Sophiæ nepotem dicat, cuius maritus fuerat.

Veritatem huius asserti comprobat diploma Belæ II. Regis de anno 1135 iam a Timone citatum, interea autem a cl. P. Prayo in *Diatribe de S. LADISLAO Rege Pofonii* an. 1776 edita, publicatum pag. 155. Vnde sequentia hoc spectant:

„Bela Dei gracia Hungarie . . . Rex . . . Notum sit . . . qualiter Lampertus comes, cum uxore sua Zophia . . . in predio suo, quod vocatur Pozonck . . . cœnobium construxerunt. . . . Nonum vero (premium) Patzuh, ubi erat regalis curia, dedit Rex Ladizlaus comiti Lamperta cum sorore sua, quam dederat ei in uxorem. “

Ecce indubitatum Sophiam Ladislai sororem, & Lamberti uxorem!

Aliam

Aliam eiusdem *Ladislai* sororem, quam LAMBERTUS Schafnaburg. *Ioyodam*, *Annalista Saxo* autem *Sophiam* adpellat, pariter recognoscit P. *Ladislaus TUROCIUS* in *Hungaria cum suis Regibus* data *Viennæ* an. 1768. pag. 335. ex eiusdem cœnobii tabulis in hæc verba scribens :

„Liberi Belæ I. Regis. *Geisa*, *Ladislaus*, & *Sophia*, quæ cum marito suo, comite *Lamberto* condidit præposituram *Bozockinensem*, & filia altera, primum *Wilhelmo Thuringorum Duc*i desponsata, inde *Vdalrico Marchioni Carinthiæ* elocata, ut est apud *Lambertum Schafnaburgensem*.“ Verissima hunc Autorem scripsisse, paullo post patebit.

Adversantur eidem nihilominus & vehementer eum exagiant recentiores quidam Hungari, *Weingarteni* unice adhærentes, qui quod *Pyriscam Colomanni* sororem recte scripserunt, quos ipsi pro liberis S. *Ladislai* olim cœlibis existimati nunc demum agnoscunt, inde præpropere inferunt, *Sophiam* quoque, a *Weingarteni Colomanni* & *Pyriscæ* sororem dictam, pariter *Ladislai* filiam fuisse, quod mihi omnino incredibile videtur.

Hunc vero in modum triumviri clarissimi Xystus SCHIER, Daniel CORNIDES, & Georgius PRAY apud cl. KATONA Historiae criticæ Regum Hungarie Tom. II. p. 746. seq. hypothesis suam adornant. Vero simillimum esse aiunt, *Vdalrico Carenzano* duas fuisse coniuges, primam *Ioyadam*, *Belæ I.* filiam, & hac defuncta alteram, nomine *Sophiam Ladislai* filiam, (quas *Annalista Saxo* confuderit) quæ extincto ad ann. 1070 marito, nupsit *Magno Saxonie* Duc.

Quo-

Quoniam vero non affinitatis tantum ratio obstat videtur, ut *Ladislai* soror primum, dein eiusdem filia eidem marito iungatur, sed etiam filiae aetas *Vdalrico* non satis congruit; hinc cl. *Katona* aliam coniecturam substituit, & arbitratur, primam *Sophiam*, *Ladislai* sororem, & *Belæ I.* filiam, *Wilhelmo* primum despontam, dein *Vdalrico* nuptam, iste autem cito defuncto, Viduam *Lamberto* comiti secundis Nuptiis iunctam fuisse: alteram vero *Sophiam* *Ladislai* filiam incerto cuidam Carinthio primum nupsisse, post eius autem obitum ad secundum cum *Magno Saxoniæ Duce* connubium transiisse. Ita ille pag. 749 :

Verum neutra harum Hypotheseon cum fide historica conciliari potest.

Primo enim eamdem *Sophiam*, quam *Lambertus Schafnburg*. *Ioyada* adpellat *Belæ I.* filiam & *Wilhelmo* ann. 1061 despontam, post huius autem immaturum obitum ann. 1062 *Vdalrico Marchioni* nuptam, eamdem, inquam, *Sophiam Annalista Saxo* *Ladislai* sororem scribit, & hanc ipsam *Vdalrici* viduam ann. 1070 *Magno Saxoniæ Duci* nupsisse tradit (heic N. 8. in fine) quæ utique intermedio tempore *Lamberto* comiti iungi non potuit.

Secundo. Istud quoque a specie veri ab ludere videtur, *Ladislaus* Regem, qui filiam suam *Pyriscam* splendidissimis nuptiis *Ioanni Comneno* Græcorum Imperatori locaverat, alteram, si quam habuit, *Sophiam* filiam ignoto cuidam, nescio cui, de Carinthia tradere voluisse,

Tertio.

Tertio. Per chronologicos calculos vix, ac ne vix quidem fieri potuit, ut *Ladislai* filia sive *Vdalrico* Marchioni, sive incerto cuiquam de Carinthia, sive demum *Magno* Saxonie Ducis coniux obveniret.

Convenit hodie fere inter Hungariae scriptores, *Ladislai* uxorem fuisse *Adelheiden*, *Rudolfi* Sueviæ Ducis, & *Henrico IV.* oppositi Cæsaris filiam.

Hic *Hermannus Contraðlo* teste ann. 1059 Mathildam Henrici Regis sororem duxerat uxorem. Hac anno sequente 1060 eodem teste defuncta, subponatur statim duxisse alteram *Adelheyden*, comitis Taurinensis de Sabaudia filiam.

Prodierit ex isto thoro ann. 1061 primogenita *Adelheidis*, quæ anno pubertatis duodecimo, æræ christianæ 1073, coniux evaserit *S. Ladislai* Regis Hungariæ. Subponatur porro, hanc Reginam mox anno sequente 1074 peperisse gemellas, *Bertham* atque *Sophiam*, quas sorores & *Ladislai* filias Quatuorvir isti ad fidem *Weingartenis* admittunt.

Sophia, cum primum pubertatem attigit, ann. 1086 copulata fuerit cuidam de Carinthia, ut *Katona* arbitratur, aut etiam *Vdalrico* Marchioni, ut reliqui volunt triumviri, alterutro autem horum defuncto, *Magno* Saxonie Ducis, cui praeter alias proles pepererit etiam *Adelheiden*, *Friderici I.* Ratisbonensis uxorem, forte anno 1090 nascituram.

Bertha quoque, *Sophiae* gemella, eodem anno 1086 ab *Hartuico* e puellari monasterio extracta, eidemque nupta, ann. 1087 mater effecta fuerit *Friderici I.* Advocati Ratisbon. Hæc enim singula in adversa hypothesi fingenda sunt.

Qqqq

Verum

Verum, quis heic paradoxa & anachronismos non videat?

Sophia, putatitia *Ladislai* filia, anno 1074 nascitura, anno 1073 nondum nata, iam vidua nupsit *Magni Saxoniæ Ducis*!

Fridericus I. *Berthæ & Hartuici* filius, qui anno 1075 iam munere Advocati ratisbonensis fungebatur (apud MEICHELBECK H. F. Tom. I. P. II. n. 1233.) quo anno 1086 ob *devotum servitium* suum ab *Henrico IV. Imp.* villas quasdam dono accepferat (Mon. boic. XII. p. 96. seq.) hic, inquam, in adversa hypothesi demum anno 1087 in lucem prodire potuit. Quis ista concoquere valet?

Missa igitur in præsens ista hypothesi erronea, dispiciendum modo, quibusnam potior fides, Anonymo *Weingarteni*, an *Lamberto Schafnaburgensi* eumque sequuto *Annalistæ Saxonii* tribuenda, an via media ineunda sit, qua concordari invicem valeant?

Quantum ad *Ioyadam Belæ I.* filiam, consentiunt *Lamberto* prædicti *Quatuorviri Hungari*. Subscribunt quoque *Weingarteni* in eo, quod *Pyriscæ Colomanni* soror fuerit, quam iste *Geyse I.* filiam existimaverat, quippe *Ladislaum*, cum omnibus fere Hungaris, cœlibem credens.

Hi autem ex instrumentis noviter productis nunc pene convicti de coniugio *Ladislai*, *Pyriscam*, ac *Colomannum* non iam *Geyse I.* sed *Ladislai* liberos statuunt, indeque ob *solam Weingarteni* auctoritatem præpropere inferunt, *Sophiam* quoque atque *Bertham Pyriscæ* sorores, hinc & *Ladislai* filias.

lias fuisse, quod chronologiæ omnino adversatur, ut paullo ante ostendi.

Alteram *Sophiam*, Schafnaburgensi & *Saxoni* iuxta ac *Weingarteni*, immo omnibus fere Hungaris, innocue ignoratam, utpote ex instrumentis tunc occultis, nunc autem lumine publica donatis erutam, recentiores Hungari pro *Belæ I.* filia, & *Ladislai* sorore reognoscunt, ut ex eorum hypothesi videre est, præfertim apud cl. *Katona* in *Hist. critica Regg. Hung. Tom. II. p. 201.* ubi sequens liberorum *Belæ I.* schema exhibit, cui ego, ubi opus est, maritos, ac liberos subiungo.

Bela I. Rex Hung.

Geifa I. Ladislaus,	Ioyada,	Sophia,
Vxor	Maritus	Vxor
Adelheidis.	I. Vdalricus	Lamberti

II. Magnus,

Coloman- Pyrisca
nus R. Vxor
Ioan. Comneni.

Esto igitur hæc media via!

Ioyada Lamberti Schafnaburgensis fit desponsata *Wilhelmo Wimmariensi*: dehinc nupta I. Vdalrico de Carinthia. II. Magno Saxoniæ Duci.

Bertha, per *Weingartensem* huius *Ioyadæ*, h. e. *Sophia* soror, maneat *Belæ I.* filia.

Pyrisca, secundum eundem *Weingartensem*, sit soror *Colomanni*, non iam *Geysæ*, sed *Ladislai* filia.

Fateamur, istum *Anonymum* in eo cespitasse, quod *Sophiam*, *Bertham*, *Colomannum* eiusdem patris *Geyse I.* liberos arbitratus fuerit, qui error facile condonandus scriptori extero, in tantis eo tempore Historiæ hungaricæ tenebris, quas nostris demum diebus tantisper dissiparunt reperta instrumenta: quibus non obstantibus adhucdum inter se digladiantur scriptores *Weingarteni* nimium addicti,

In hac semita nullus anachronismi metus, nullum contradictionis periculum, quod facilissime ostendo,

Ioyada, hoc est, prior *Sophia*, *Belæ I.* filia circ. an. 1036 nata, anno 1061 Wilhelmo facile despousari potuit. Potest autem huius nativitas sponsæ ad annos posteriores reponi,

Bertha, in hypothesi gemella soror, eodem an. 1036 nata, & an. 1050 *Hartuico* nupta an. sequente 1051 parere potuit *Fridericum I.* Advocatum ratisbonensem, qui anno 1075 ætatis 24. huic muneri obeundo omnino par erat, & ob devotum servitium Imperatori præstitum an. 1086 donationem promereri poterat: quæ in hypothesi adversa fingi prorsus nequeunt,

Neque aliud quidpiam huic meo systemati, ubi binæ *Sophiæ* sorores, filiæ tribuuntur *Belæ* primo, *Pyrisca* autem, & *Colomannus* parenti suo S. *Ladislao* legitime adjudicantur, obstat video.

Hæc prope nimia & extra rhombum videri possent: si quid in historia, & genealogia, præsertim ad Maiores Boiariorum pertinente, nimium esse potest.

Forte

Forte etiam Scriptores Hungari, qui hactenus huic systemati adversantur, perspectis hisce rationum momentis, & adversae hypotheseos incommodis, aut mentem suam mutabunt, aut fortiora argumenta proferent, quibus ipsa demum veritas eruatur, quæ sola sincero scriptori cordi est.

Auctores operis celeberrimi *l'Art de verifier les dates*, qui & ipsi *Sophiam Geysæ* I. filiam tribuunt, communī quondam Hungarorum opinione abrepti, nihil præjudicare valent: ut taceant minores gentium Deos, multa sine examine scribentes.

Num. X. POPPO II. *Marchio VDALRICI I. filius.*

Anonymus Weingartensis n. 4. ad hanc tabulam citatus:

„Erat tandem eadem *Sophia* antea cuidam de Carinthia copulata, ex qua genuit *Popponem* Marchionem.“

Etsi autem Poppo Marchio præcise hoc loco dicatur, Marchiam tamen *Carentanam* rexille inde colligi potest, quod patri successerit.

Alio nomine *Starchardus*, vel *Starchandus* dicebatur, ut legere est in Biographo *Conradi* Archiep. Salisburg. apud Bern. PEZIUM *Thesaur. anecdot.* Tom. II. P. III. col. 231:

„Taurum montem transivit (Thiemo Conradi antecessor) ibique a quibusdam Principibus captus, Marchione videlicet *Starchardo* & fratre eius *Werigando*.“ Quem *Popponis* & *Vdalrici* germanum fuisse, statim patefecit.

Hie

Hic ipse *Popo Vdalrici & Werigandi* frater, sub *Starchandi* Marchionis nomine occurrit in charta donationis celeberrimo monasterio S. Lamberti in hodierna Styria superiore, olim Carinthiæ accensita, ab *Henrico Duce* factæ apud Bern. PEZIVM in Codice diplomatico - epistolari P. I. pag. 283. unde & translata fuit in Diplomataria sacra Styriæ a RR. PP. PUSCHIO & FROELICHIO edita Tom. II. pag. 273. ubi ad finem legitur:

„ Confirmata est autem hæc traditio subscriptorum testimoniis testium, qui sunt . . . *Starchand Marchio de Soune & frater eius Vdalrich* . . . Scripta est autem hæc notitia an. Incarn. dom. MCIII.

Quæ subiicientur, prioribus lucem affundent, unde & elucescent, huic *Popponi* uxorem fuisse, & filias geminas, quarum unam novi, alteram vero, ut & ipsam coniugem, hactenus me ignorare profiteor.

Num. XI. VDALRICUS II.

Vdalrico primo ex *Sophia* hunc natum fuisse, extra dubium ponit Annalista Saxo Eccardinus ad an. 1062:

„ Sponsam eius *Willhelmi* (N. 4.) *Sophiam Odalricus* Marchio Carentinorum cognatus eius (ex fratre *Poppone* nepos) accepit . . Horum, scilicet *Willhelmi & Ottonis* Marchionum, frater fuit *Popo*, qui habuit filium *Odalricum*, qui sororem *Ladislai Regis Vngariæ* *Sophiam* duxit uxorem, quæ genuit ei iuniorem *Vdalricum*, qui accepit filiam *Ludovici Comitis de Turingia*. “

Apo-

Apographorum fragmenta duo a Bernard. de RUBEIS loc. cit. pag. 335. seq. producta, atque huic ætati adcommoda, hunc ipsum *Vdalricum* priori filium fistunt:

„Donatio sancti Syri facta per *Vodalricum* Marchionem Istriæ ecclesiæ aquileiensi MCI.“

Quum *Vdalricus I.* iam an. 1070 obierit, hæc inscriptio de eius filio intelligenda necessario venit.

Alterum fragmentum *ibidem*:

„Instrumentum donationis factæ de Castro Portulensi aquileiensi ecclesiæ per dominum *Vodalricum*, filium *Vodalrici Marchionis*.“

Eundem *Vdalricum* cum duobus suis fratribus *Poppone II.* seu *Starchando*, & *Werigando* legimus in Passione S. Tyemonis AE. Salisburg. apud CANISIUM BASNAGII Tom. III. P. II. pag. 106:

„Vincitur ab adversa parte acies Præfulis (Tyemonis) fusi sui partim, alii fugati, spolia direpta, simul cum pallio suo intactus ipse fuga evasit. Non multo post cum per Taurum montem in Carinthiam iter legeret; ecce *Vdalricus* comes partum Cæsaris dum vult malam virtutem sœcula futura narrare, ausus est manum sacrilegam mittere in Christum Domini. . . captus deinde & Frisacum adductus - - dixit obsidionis principibus, *Vdalrico* scilicet comiti, quem ante satis commémoravimus, cum germanis suis duobus. . . . *Poppone* scilicet, & *Werigando*, quos nominatim exprimit Biographus Conradi AE. Salisb. supra N. 10.) Vitam clausit ann. 1122. ut patet ex N. seq.

Num.

Num. XII. ADELHEIDIS VXOR VDALRICI II.

Annalista Saxo ad ann. 1112:

„ Moritur eo tempore quidam de Saxoniae principibus *Vdalricus de Wimmar Ludovici* comitis de Turingia dudum gener, sed iam propter eius filiae repudium invitus, cuius possessiones prædictas *Palatinus* comes *Sigefridus* hæreditaria sibi vindicabat possessione. . .

„ IDEM ad ann. 1062 de *Vdalrico Iuniore*. “

„ Qui accepit filiam *Ludovici* comitis de Turingia “

Nomen uxoris produnt Annales breves de Landgraviis Thuringiae apud Ioan. Georg ECCARD Origin. Saxon. pag. 347:

„ Tertia filia (*Ludovici*) *Adelheidis Vdalrico* comiti de Wymar matrimonialiter coniuncta. “

Sterilem, ideoque repudiatam, & monasticam vitam amplexam fuisse colligo ex historia de Landgraviis Thuringiae apud PISTORIUM STRUVII Tom. I. p. 1313. cap. 18:

„ *Ludovicus* tertius comes Thuringiae . . . genuit aliam filiam *Adelheidam* nomine, quæ (scil. post repudium) seculum deserens sancti Nicolai intra muros Ysenacenses cœnobium ædificavit, & in eodem Clauistro quam plurimis annis religiose vixit, & Abbatissa effecta est Virginum anno MCLI. “

Num. XIII. WERIGANDVS.

Tertius *Vdalrici I.* filius, *Popponis II.* *Starchand* dicti, & *Vdalrici II.* germanus manifestus evadit ex Biographo Conradi AEpi Salisb. iam allegato col. 231:

„Taurum montem transivit (*Thiemo ann. 1095.*) ibique a quibusdam principibus captus, Marchione videlicet *Starchando* (*Poppone*) & fratre eius *Werigando*“

In Codice diplomatico admontensi apud eundem PEZIVM Tom. III. P. III. col. 685. N. XI. legitur :

„Prædium illud ad Radella, scilicet mansus, quos nobis *Werianus* comes pro scelere, quod in venerabilem Thyemonem archiepiscopum commiserat, tradidit.“

Pergit Biographus Conradius :

„Verum postquam Archiepiscopus de hac captivitate liberatus est, ultio divina istos ita percussit, ut cum duo illi fratres tota Carinthia potentissima dominatione potirentur, nullius mortalis hominis contradictionem habentes, subito per comitem *Bernardum*, qui cum paucissimis militibus Carinthiam intravit, funditus contriti sunt & ad nihilum redacti, omni pristina potentia perdita.“

Vitæ quoque annos divina ultiōe abbreviatos illis fuisse narrat chronologus Reichersbergensis apud *Ludewig Scriptor Bamberg.* P. II. de persecutoribus Thiemonis :

„Ex eo tempore in adversis semper decrescebant, & ut hodie quoque perspicuum est, iudicio Dei non dimidiant dies suos, nec aliquis fere de posteritate.“

Suspicari inde primum est, *Werigandum*, qui in litteris *Vdalrici Patriarchæ aquileiensis*, queis Doberndorfenses, seu Eberndorfenses Canonicos fundat vel auget ex bonis Cazellini comitis ann. 1106, primus testium notatur, affirmante id Erasmo FROELICHIO in Genealogia Soreneckiorum Comitum Celeiæ pag. 24. & qui *dies suos non dimidiauit*, hoc circiter tempore abreptum fuisse.

Num. XIV. LVTGARDIS & *anonyma*, POPPONIS II. filiæ.

Harum meminit Weingartensis apud Leibnitium *Scrip-*
tor brunsvicens, Tom. I, p. 785;

„Erat tandem eadem Sophia antea cuidam de Carinthia copulata, ex qua genuit Popponem (secundum) Marchionem, qui duas filias (habuit) vnam Bertholdo comiti de Bogen copulavit. Porro soror huius Sophiæ (immo Neptis) Regi Græcorum nupsit (vid. N. 4. ad hanc Tab.) aliam sororem eius (hoc est Sophiæ, id enim syntaxis requirit) Berchtam quidam comes ex Claustro quodam sanctimonialium abstraxit, & Fridericum ratisponensem advocatione genuit.“

Cespirarunt ad hunc locum nonnulli viri eruditæ, *Bertham* istam existimantes Popponis II. filiam & Lutgardis sororem; quum tamen, ceu Sophiæ soror, filia fuerit Belæ I. Regis Hungariae.

Filiæ

Filiæ huīs nōmen *Bertholdo de Bogen* nuptæ, quod Au-
tor suppressit, vel ignoravit, quemadmodum sororem alteram
omnino præteriit, manifestat Codex diplomaticus admonten-
sis apud *Bern. PEZIVM Thesaur. Tom. III. P. III. col. 779*:

„ Anno ab Incain. Dom. MCLXVIII. “

Pertholdus comes de *Pogene* viam universe earnis ingressus
apud *Rotenmanne* migravit. Vxor itaque illius *Liukart* no-
mine . . . hæc traditio facta est apud *Liuzen*. - -

Habuit igitur proprias in Carinthia possessiones, utpote
Marchionis Carinthiæ filia.

De altera eius filia, *LVTGARDIS* sorore, nihil compertum
habeo.

Probationes ad Tabulam VI.

Hanc tabulam ideo prioribus addere volui, ut Murztha-
lensium comitum, Carinthiæ Ducum, eum Imperatoribus Hen-
ricis tertio, quarto & quinto non passim obvia propinquitas
ad oculum pateat.

Num. I. HERMANNVS II. Alemanniæ Dux.

ODILO in vita Adelheidis Imperatricis apud LEIBNITIVM
Scriptor. brunsvic. Tom. I. pag. 269 :

„ Igitur eo tempore, quo beata migravit e sœculo, HER-
MANNVS Dux Sueviæ, qui fratri illius *Chuonradi* filiam in con-

iugium acceperat, hæreditario iure res ancillæ Dei ad monasterium pertinentes occupare volebat. “

De illius progenie hoc vnum constat, quod teste DITMARO restituto apud LEIBNITIUM loc. cit. pag. 370. matris suæ avunculi filius fuerit,

Num. II. GERBIRGIS, seu GEPA.

HERMANNUS Contractus ad ann. 997.

„ Conradus Alamannorum Dux obiit, & pro eo *Hermannus* Ducatum accepit, qui & ipse filiam Conradi Regis Burgundiæ *Gerbirgam* in matrimonio habuit. “

Num. III. MATHILDIS MATER GERPIRGIS.

Chronicon S. Benigni Divionensis apud D' ACHERY in Spicilegio Tom. II. pag. 393:

„ In Regni Burgundiæ terminis sita est Lugdunum civitas, quam Lotharius Francorum Rex dedit in dotem sorori suæ Mathildæ Reginæ, quam despondit Conrado Burgundiæ Regi. “

ALBERICVS trium fontium in Chron. ad an. 986.

„ Huic Conrado Rex Francorum Lotharius dederat sororem suam Mathildem, & cum ea civitatem Lugdunensem in matrimonium, de qua Mathilde Conradus iste genuit Rudolfum secundum & sororem suam Gepam matrem Imperatricis Giselæ. “ Item ad ann. 1024.

Num.

Num. IV. HERMANNVS III. DVX ALEMAN.

HERMANNVS Contractus N. 2, citatus:

„ Ex qua filium æquivocum & tres filias reliquit. “

Num. V. GISELA, Vxor CONRADI II. Salici Imperatoris.

Priores huius Mariti hue non pertinent.

WIPPO in vita Conradi Salici Imp. pag. 467. apud PISTO-
RIUM Struvii Tom. III,

„ Super hos omnes dilecta Regi coniux *Gisela* prudentia
& consilio viguit, cui Pater erat *Hermannus* Dux Alemanniæ,
mater eius *Kerpirga*, filia Conradi Regis de Burgundia fuit,
cuius parentes de *Caroli Magni* (*Carolomanni*) stirpe proce-
serunt. “

Num. VI. MATHILDIS.

WIPPO citatus pag. 463:

„ Prædicti duo Chunones (vid. Tab. III.) cum essent,
ut dictum est, ex parte genitorum nobilissimi, haud secus ex
materno genere claruerunt. Iunioris Chunonis mater *Mathil-
da* de filia Conradi Regis Burgundiæ nata fuit. “

Num. VII. BRIGIDA.

HERMANNVS Contractus ad ann. 997 tres Hermanno II.
Sueviæ Ducis filias assignat. Duas priores comprobavi num. 5.
& 6. Tertiam, quæ in veteri Rationario Goritiæ *Brigida* vo-
catur, apud illustrissimum D. CORONINUM Comitem de CRON-
BERG

BERG in *Tentamine genealogico comitum & rerum goritiensium Edit. secund. pag. 43. Tab. I.* nobis insinuant HERMANNVS Contractus, & BERTHOLDVS Constantiensis, qui *Adalberonem* Episcopum bambergensem, *Adalberonis* Carinthiæ Ducis filium, *Henrici III.* Imperatoris consobrinum appellant, ut adeo *Gisela* *Henrici III.* mater, & *Adalberonis* coniux, sorores fuerint, ex *Hermanno II.* & *Gerbirga* natæ. Hinc eo facilius *Lazio* credi potest scribenti Lib. V. de Migrat. gent. pag. 206:

„ Itaque accidit posterius, ut Hungaricus ille Marchio *Albertus* (*Adalbero Carinthiacus*) origine comes de Murzthal & Avelant (valle Lavanda) deficiente vel pulsa nobili familia Suevorum, rerum inciperet in Carnia potiri, quod materteram *Conradi II.* (*Iunioris Carinthiæ Ducis*) in matrimonio haberet.“

Porro huius *Cunonis*, seu *Conradi* mater erat *Mathildis*, *Brigidæ* nostræ foror. Sequitur LAZIVM MEGISERVVS lib. VII. cap. XI. pag. 698.

Num. VIII. HENRICVS III. Imperator.

MEICHELBECK *Hist. frising.* Tom. I. P. I. pag. 223. seq. plura exhibet *Conradi Salici* diplomata, ubi Imperator dilectæ *contellalis suæ Giselæ Augustæ & caræ Sobolis Regis Henrici* expresse meminit, quod aliunde dubio omni caret, nec ampliore probatione eget.

Num. IX. HENRICVS IV. Imperator.

LAMBERTVS Schafnaburgensis ad ann. 1051:

Natus est Imperatori filius Heinricus III. Rex III. Idus Novemb. “

Num. X. HENRICUS. V. Imperator.

Idem LAMBERTUS continuatus ad an. 1081:

„ Hen-

„ Henricus (quintus) Rex natus est, ille, qui patrem suum
de regno expulit. “

VRSPERGENSIS ad ann. 1099:

„ In Epiphania Aquii filium suum iuniorem Henricum quin-
tum Regem fecit, reprobato maiore suo Chuonrado, quem
prius coronavit. “

Num. XI. LIVTPIRGIS soror HENRICI V.

Probationes de ista adtuli ad Tab. II. N. 12.). Inde autem
patet, qua ratione Henricus Carinthiæ Dux, *Liutpirgæ* huius
filius, *Henrici V.* Imperatoris rectissime ex sorore Nepos audiat,

Reliquas Tabulæ istius Personas supra comprobavi in No-
tis ad Tab. II. & III. quod iam non vacat repetere; quum vel
ex sola Tabulæ huius inspectione Murzthalensium Comitum cum
Henricis Imperatoribus consanguinitatis gradus ad oculum pateat.

Sequitur nunc diploma supra Num. 18. ad Tab. II. alle-
gatum:

In nomine Sanctæ , & Individuæ Trinitatis Hanricus
divina favente clementia quartus Romanorum
Imperator Augustus.

Omnis Christi, nostrique fidelibus tam futuris, quam præ-
sentibus notum fieri volumus: qualiter nos, ego videlicet
Heinricus quartus Romanorum Imperator Augustus ob salutem
animæ nostræ, antecessorumque nostrorum, & iusta petitione
Hein-

Heinrici Ducis Karinthiæ dilectissimi Nepotis nostri , rogatu-
etiam dilectissimorum Principum Frederici Colonensis Archi-
Episcopi , Brunonis Treverensis ArchiEpiscopi , Burchardi Mo-
nasteriensis Episcopi , Erlungi Werceburgensis Episcopi , Vi-
rici Eistetenensis Episcopi , Hartvici Ratisponensis Episcopi , Ot-
tonis Bauembergensis Episcopi , Hertmanni Augustensis Epis-
copi , Heinrici Frisingensis Episcopi , Gevehardi Tridentini
Episcopi . Ducum quoque Welfonis de Bauaria , Lutherij
Ducis de Saxonie , Frederici Ducis de Svevia . Comitum quo-
que Godefridi Palatini Comitis , Herimanni Marchionis , Be-
rengarij Comitis , Lupoldi Marchionis , Tietbaldi Marchionis .
In universal curia nostra apud Magunciam hanc privilegii pa-
ginam Ecclesiæ Sti Lantberti ab eodem supradicto Duce Heinri-
co , & a Patre suo Maruardo bonæ memoriæ in carinthia con-
structæ fieri iussimus . Hac videlicet conditione , ut nullus Dux ,
vel Marchio , Comes , vel Vicecomes , vel aliqua Persona sæ-
cularis vel Ecclesiastica magna , sive parva eandem Ecclesiæ
aliquomodo deinceps inquietare , molestare , vel disvestire au-
deat . Hoc quoque per præsentis privilegii paginam imperiali
auctoritate firmiter statuimus , ut quæcunque prædia idem Dux ,
vel alii fideles eiusdem Mrio contulerint , sive in futurum con-
cessionem Pontificum , liberalitate Principum iuste , atque canonice
conferri contigerit , firma eis , eorumque successoribus & illibata
permaneant . Advocatum nullum habeant nisi ipsum Duxem Hein-
ricum , vel aliquem eius legitimum filium , vel si legitimum filium
nullo modo habere poterit , ad petitionem Abbatis , & fra-
trum eidem Eccleæ advocatus eis detur . Omnia etiam , quæ eis
per privilegium Paschalis Romanæ sedis Pontificis Pontificali
auctoritate ordinata sunt , inconvulsa conserventur . Episcopo
vero , vel ipsi Abbatи nullo modo liceat Cænobii bona in feu-
dum , sive beneficium sine consensu meliorum fratrum Personis
aliqui-

aliquibus dare, vel modis aliis alienare. Si vero forte, quod absit, aliquis temeritate aliqua inductus huic nostro iusto præcepto contraire temptaverit, & quod fecimus irritum esse voluerit centum libras auri compositurus medietatem cameræ nostræ, & medietatem Abbatii, & fratribus ibidem Deo famulantibus. Ut autem hoc verum esse credatur, & ab omnibus inviolabiliter conservetur, hanc paginam manu propria corroboratam impressione nostri sigilli insigniri iussimus.

Signum Dni Hanrici quarti
Romanorum Imperatoris
invictissimi.

Bruno Cancellarius
recognovit.

Data XVI. Kal. Februarii indictione VII. Anno Dominicæ Incarnationis millmo CXIII. regnante Heinrico quarto Rege Romanorum an. VII. imperante II. Actum est Magunciae in Christo feliciter. Amen.

Tentata solutio propositi Problematis

de Epitaphio Gerbigris in Geisenfeld.

Testimonia, quæ inter probationes ad tabulam I. genealogiam Comitum de Semita & Ebersberg concessi, abunde ostendunt, nisi me omnia fallant, *Gerbirgem*, *Willpircis* filiam, hinc & *Eberhardi* eiusdem Germani neptem, ipsosque a dictis Comitibus oriundos fuisse, de quo subdubitare videbatur illustris Academia. Eandem vero *Gerbirgem* Parthenonis ab avunculo fundati primam fuisse Antistitem, indubium videtur, quia nulla legitur, quæ eam præcesserit.

Ssss.

Quum

Quum insuper probabilissime sciamus, *Werigandum, Werianum, seu Werientum, non Luitgardis*, ut *HUNDIO* vi-
sum, sed *Willpircis* maritum, *Gerbirgem* genuisse; cur vir iste,
non græcæ utique, sed germanicæ originis, *Stertor, & Rex,*
& Græcus in Epitaphio compellatur?

Prius istum quam extricare nitar nodum oppido implicatum
& vere Gordium, ipsam Saxy effigiem penitus intueri oportet.

Ætatem eius recentiorem ipse inscriptionis autor prodit,
qui synchronus aut subpar si fuisset, absolute testari poterat,
Gerbirgem primam huius cœnobii Abbatissam fuisse. Quum au-
tem ex fama solum aut traditione edocetus dicat: huius loci
prima fertur Prælata fuisse, longius se ab eius obitu remo-
tum fuisse insinuat.

Sed & characteres sæculum XIV. sat clare denotant; ut
adeo cenotaphii consarcinator, quisunque demum, tribus mi-
nimis sæculis iunior fuerit.

Hoc insuper videamus, an MABILLONIUS istam inscriptio-
nem accurate per omnia legerit.

Priora quidem verba: *Hac, vel Hic iacet in tumba Ger-*
birgis filia Regis græci . . . & posteriora: Eberhardique fuit
neptis, huius loci prima fertur prælata fuisse; legi aliter vix
possunt. Cur autem has litteras STCTORIS exposuerit pro
STERTORIS, pace tanti viri capere nequeo. Tertia enim
littera C. nullam prorsus cum R. affinitatem habet, uti utram-
que in inscriptione saepius occurrentem conferenti evidens est.

Equi-



TES·KV37·LOCI·PM 3·FT·PLAC3·FVISS·

EBK·O·FVIT·M·EP

G BIRGI·FILEM·RAGIS·GR EAI·STACTORES

K·I·CCZ·I·T·V B·Z·

R.A.D.

THE CROWN

1824 MAY 13

Equidem lubens concessero, inter quatuor primas consonantes' oecandam esse aliquam vocalem, & legendum: STACTOR, STECTOR, vel aliud huiusmodi, cui tamen nulla omnino respondet significatio; cur autem reiecta littera C. clarissime expressa substituatur ER. ut inde oriatur STERTOR, istud denuo captum meum exsuperat.

Si demum litteram C. expungi, eique R. substitui, & aliquam vocalem addi recessum sit; cur non potius A. loco E. inferatur, ut prodeat nomen STRATORIS?

Denotat istud officialem in aula constantinopolitana, derivatum a verbo *sternere*, *stravi*, *stratum* seu equum parare. Hoc munere functum se fuisse testatur personatus CONSTANTINUS M. Imperator apud GRATIANUM *dist. 90. can. 14. Tenentes, inquit, froenum equi ipsius (Sylvestri Papæ) pro reverentia B. Petri STRATORIS officium illi exhibuimus.*

Divinarunt quodammodo hanc expositionem solertissimi patres Maurini in nova Glossarii ad scriptores mediae & infimae latinitatis editione, Mabillonianum STERTOR explicantes pro *Stratore*, *equorum curatore*, *domitore*, *mareschalco*, adducto in fidem unico Geisenfeldenfi Epitaphio, tantopere ambiguo. Quodsi *Stertor* in lapide diserte expressum fuisset, quod illi suspicati sunt, de MABILLONII fide ac peritia nihil dubitan tes; maluissem ego hoc nomen derivare a verbo *stertere*, ut significet virum, a profundis, quos ducere solebat, ronchis STERTOREM (*ein Schnarcher*) dictum.

Fingam autem legendum omnino esse STRATORIS; tunc haut ineptus inest Epitaphio sensus iste, Gerbirgis patrem STRA-

TORIS officio in aula Regis cuiusdam græci functum aliquamdiu fuisse, ut *rō Regis græci* non denotet patrem Abbatissæ, sed illum Regem græcum, cuius equum pater sternere, & frœnum tenere solebat.

Istaque ex mente versificatoris nostri, *Gerbirgis* filia erat cuiusdam Anonymi, eidem ignoti, qui neque *Rex*, neque *Græcus* erat, sed *Strator Regis græci*. Non repugnat utique, *Werigandum* comitem, virum equestrem, atque in arte docendi, & parandi equos egregie fortassis exercitatum, varias regiones peragrasse, atque in aula cuiusdam Principis exteris, qui Germanis Græcus videri poterat, *Stratoris* munere aliquamdiu functum, in patriam vero reversum *Wilpīrgem* Semtanam matrimonio sibi iuxisse, ex eaque *Gerbirgem* generasse, futuram Geisenfeldæ primam Antistitem.

Divinationes quidem sunt istæ & meræ hariolationes, non dissitior. At enim in rebus obscuris & pene des�ratis nunquid ad hypothesis configere licet, non adeo paradoxam?

Sed iuvat paulisper reverti ad inscriptionem, & aliam promere coniecturam.

Quid? si lapticida humani quidpiam passus dormitaverit, & in nomine STCTORIS loco tertiae litteræ C. ponere debuisset N. quæ cum vetere C. nonnullam habet similitudinem, si prior linea ducatur verticalis, & altera incurvetur, ut videre est in voce *Neptis*? In faxa enim & varii generis metal-

metalla æque ac in chartas & diplomata aliqui genuina, erores non raro irrepsisse, incomptum esse nequit diplomaticæ rei peritis.

Vt extera præteream exempla passim obvia, duo occur-
gunt volumine XI. Monumentorum boicorum, in tabula plum-
bea Monasterii Nideraltacensis pag. VII. & tab. XV. in lapide
Hengerspergeni, ubi legitur: 14457. manifesto errore, quem
corrigenz præfator ait: *Scirpus autem ex litterarum charakte-
ribus facile resolvitur, quod scilicet numerus (4.) ex culpa
Scalptoris bis incisa fuerit, novo typi errore, pro incisus.*

Verum ista, & innumera alia ut taceam, quot errores se
produnt in altero saxo, itidem Geisenfeldæ conspicuo, cuius
apographum supra Num. 21. ad tab. I. dedi? Et quis nescit,
ante haec octo lustra in media Germania cusum fuisse Numis-
ma memoriale argenteum, ab insigni errore Monetarii *Bock-
thaler* dictum?

Quidni fas sit similem, sed plane exiguum errorem in
hac etiam inscriptione suspicari, ut loco C. substituatur N. &
præmittatur vocalis E.? Tunc autem prodit nomen STENTO-
RIS, & sensus sat congruus.

Forte enim *Werigandus*, *Gerbirgis* parens, ob sonoræ
vocis magniloquentiam, & clamoris vehementiam tempore
suo comparatus fuerat *Stentori*, græci exercitus ad Troiam
præconi, qui teste HOMERO *Iliad.* V. 785. clamore superabat
alios quinquaginta clamantes, de quo & IUVENALIS *Satyræ*
XIII. 112. ait:

» Tu miser exclamas, ut *Stentora* vincere possis. “ Poterat

Poterat hæc traditio Geisenfeldæ perdurasse, & versificatori nostro ansam præbuuisse, ut adiectam hanc vocem pro nomine gentilitio & proprio patris *Gerbirgæ* acciperet, eamque filiam *Stentoris* adpellaret.

Vt quid autem operam perdo in investiganda græca significatione τὸ STCTORIS? quando istud forte neque græcae originis est, nec adpellativum nomen, sed adiectivum, non ad patrem Abbatissæ referendum, sed ad patruum EBERHARDVM, qui cœnobium geisenfeldense fundavit, & in charta anecdata (*supra Num. 5. ad tab. II.*) Ecclesiæ geisenfeldensis *construтор* adpellatur. Quoniam vero τὸ *Construтор* versui non quadrabat, (si tamen inscriptionis auctor pede ligato incedere voluit) refecto *con*, solum *Struтор* poni debuerat; quemadmodum & *supra N. 20. ad tab. I.* dicitur altare *struclum* in eadem villa, pro *construclum*.

Quid igitur prohibet, quin τὸ STCTORIS, legatur, STRVCTORIS, hicque Epitaphio sensus tribuatur:

HAC IACET IN TUMBA GERBIRGIS FILIA REGIS GRÆCI, STRUCTORIS EBERHARDI QUE FUIT NEPTIS . . .

Sive autem *Stertoris*, aut *Stentoris*, sive *Struторis* lectio præplaceat; nondum solitus est nodus, neque disiectus. Restat enim porro dubium, cur Werigandus *Comes*, certe non græcae originis, REX dicatur, & græcus.

Heic denuo ad divinationem recurrere necessum habeo, quæ multam veri speciem mihi quidem præseferre videtur.

Norunt

Norunt Eruditi, veteres nonnullos genealogiarum tex-
tores ex ultimo ævo a græcis, latinisve heroibus Illustrum
suorum, quos commendare volebant, maiores deducere con-
suevisse, ut commentatio isto splendore amplius iisdem decus
adiicerent.

Forte & nostrum Autorem eadem dementia cepit. Le-
gerat ille, aut traditione acceperat, Gerbirgis Patrem, Sten-
torem dictum, Goriciæ villam in Carinthia possedisse. Facile
deceptus, aut decipere volens, pro Carinthia legit Corinthum;
(quemadmodum & THWROEZIVS in Chron. Hungarorum cap.
47. apud SCHWANDNERVM Scriptor. rer. hungar. Tom. I. pag.
115. Carantanos appellat Corinthios) pro Goritia legit Græ-
cia, in qua sita est Corinthus Regum olim sedes; aut hodier-
num Græcium, Styriæ, quæ pars erat veteris Carinthiæ, Me-
tropolin.

Quumque Stentor inter Græcos celebris fuerit; hinc Ger-
birgis Patrem, adiecto hoc nomine compellatum, a græco
Rege originem traxisse aut ex vero æstimavit, aut lectori per-
suadere voluit; indeque Regem græcum Stentorem prona se-
qua Epitaphio suo intrusit.

Simili fere coniectura usus est Carolus STENGELIVS in Com-
mentario rerum augustanar. Vindelicæ pag. 9. Quum enim
Franciscus IRENICVS in Exegeſi Germanicæ Lib. XI. pag. m. 366.
PHILIPPUM sub M. Aurelio Antonino Martyrem & Episco-
pum Augustanum scripsisset, huius autem Augustæ Vindeli-
corum nulla prorsus extaret memoria; sagaciter ille suspicatus
est, Philippum Gortynæ in Creta Episcopum, cuius EVSEBIUS

Hijtor.

Histor. eccles. IV. 25. & HIERONYMVS de Scriptor. ecclesiasticis meminerunt, eodem tempore florentem, pro Augustano venditatum fuisse, quod scilicet affinitas quædam inter nomina *Cretæ*, & *Rhetie*, in qua sita est Augusta Vindelicorum, facile cuidam imposuerit.

Præterea non infrequens est, ut maiores Toparchæ, cuiusmodi *Variantus*, seu *Werigandus* fuerat, quippe *Foroili* comes, etiam *Reguli* nuncuparentur, qua voce AVENTINVS frequenter utitur.

Quia vero *to Reguli* versiculo non serviebat; licentia poetica usus noster, *Regem* pro *Regulo* substituit; siveque Natales *Regis Græci* ex versificatoris cerebro prodierunt, & acta est Fabula.

Fateor lubens, istas nonnisi hariolationes esse, quæ tam repugnantiae involvunt nihil, & aliquam veri speciem præseferent videntur.

Si *Willpirgis* prior Maritus, *Werigandus*, idem cum *Viento* fuit, & *Gerbirgem* genuit, de græca eius origine, & regia dignitate desperaverim. Nuspianam enim illius *Vxor*, *Regina*, sed constanter *Comitissa* appellatur.

Ilo ævo ante sacras in Palæstinam expeditiones, nullum sere Germanis cum Græcis erat commercium, connubia nulla. Florebat domi familiæ sat illustres, quæ nuptiali fœdere invicem necterentur.

Ebersbergenses Comites e Carinthia uxores ducebant, & Carentanis filias suas nuptui elocabant. Alter *Wilbirgis* maritus *Wecellinus* Carentanus erat; quidni & prior *Weriganus*? Quem si quis Comitem de *Mospach* fuisse contendat; hunc ego rogaverim, ubinam situs fuerit ille Comitatus, aut an eo iam tempore extiterit?

Quemadmodum autem supra (*Num. 20. & 23. ad tab. I.*) loco *Murach* legendum censui *Murau*, aut *Mureck*; ita etiam heic pro *Mospach* legere mallem *Mosburg*, quæ est Arx munita in tractu Cileensi haut adeo remota a comitatu *Goritiae*, quam circa an. 830 exstruxit *Priwina*, teste *Anonymo de conversione Baioar. & Carentan.* apud *HANSIUM German. sacra Tom. II. pag. 129.*

„Aliqua vero iterum occasione percepta rogantibus praedicti Regis (*Ludovici*) fidelibus præstítit Rex *Briwinæ* aliquam inferioris Pannoniæ in beneficium partem circa fluvium, qui dicitur *Sana*, tunc cœpit ibi habitare & munimen ædificare in quodam nemore & palu *Sellede* (malim legere: *palude Selle*) fluminis, & circumquaque populos congregare, ac multum ampliari in terra illa.“

Istud Munimen a *Palude* dictum fuisse *Mosburgum*, recte arbitratur *HANSIUS*, ob *Sanam* fluvium propinquum.

Ttt

Nam

Nam idem Anonymus loc. "cit. pag. 135. sequentia porro addit:

„Anno igitur DCCCLXV. venerabilis Archiepiscopus Iuvavensis *Adelwinus* nativitatem Christi celebravit in castro *Herilonis* noviter in *Moseburch* vocato, quod illi successit mortiente patre suo *Priwina*, quem Moravi occiderunt.“

De eadem arce sequentia tradit Sigismundus CALLES *Annal. Austr. Tom. I.* pag. 179, & 220. & Indice II.

„Mosburgum eastrum, alias urbs *Paludarum*, non procul a *Sana* fluvio in comitatu Cileiae in extrema parte Styriae versus *Savum* fluvium.“

Exstat porro aliud *Mosebure* in Carinthia inferiore, prope lacum & monasterium *Ossiac* situm, olim *Carantanum* (vid. N. 1. ad tab. IV.) & *curtis Carentana* dictum, quod in Chronicis Gottwicensis Prodromo lib. III. pag. 494. N. 76. a priore *Mospach* non satis distinguitur. Sive autem huius, sive prioris *Mosburgi* Comes fuerit *Werigandus*; ob utriusque propriorum, quam *Mospach* quocunque, viciniam, Comitatus Histriae & Foroiulii regimen eidem fuisse concreditum, non inepte mihi coniicere videor.

Ipsa quoque *Goritia*, cuius villæ medietatem possidebat *Werigandus* (N. 23. Tab. I.) & cuius uxor *Willbirgis* Sem-tana,

tana matre *Richarda*, Murzthalensi & *Goritiæ* comite proguata erat, maiorem cum *Græcia* affinitatem habet, quam *Mosbach*, & *Goritiæ* regulus facili errore dici poterat *Rex græcus*.

Si nulla harum coniecturarum arriserit, & aliam subpeditare fors impossibile fit, restat hoc unum, ut inscriptionis hujus auctorem insignem dicam impostorem, qui sicut ad arbitrium nomine STCTORIS seræ posteritati illudere voluit, illi simillimum, qui in ædibus Senatoris *Volta* prope Bononiam diffidatum posuit Monumentum, a Comite *Oxenstirnio Pensées sur divers sujets de Morale* Tom. I. pag. 321, descriptum:

„ Aelia, Lælia, Crispis,

Nec vir, nec mulier, nec androgyna,

Nec puella, nec iuvenis, nec anus,

Nec casta, nec meretrix, nec pudica,

sed omnia,

sublata

Nequae fame, neque ferro, neque veneno,

sed omnibus,

Nec cœlo, nec aquis, nec terris,

sed ubique iacet.

Lucius, Agatho, Priscus,

Nec maritus, nec amator, nec necessarius,

Neque mærens, neque gaudens, neque flens,


Hanc

Tttt 2

Nec

Nec molem, nec pyramidem, nec sepulcrum,
sed omnia,
Scit, & nescit, cui posuerit. "

Labore isto qualicunque defunctus amoveo manum de tabula, id unum pro coronide æquos rogans censores, velint has conjecturas cum illis conferre, quæ de *Veriento*, seu *Werigando* ad tabulas I. & IV. pluribus adnotavi, simulque perpendere, enesse aliquando & incredibili verum.



Negis